

Simon Rettenpacher
‘Innocentia dolo circumventa
seu
Demetrius
Philippi Macedonum Regis filius
Insidiis fratris Persei crudeliter peremptus’

Tragoedia
(1683)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Oktober 2008

Argumentum

Demetrius, Philippi Macedonum Regis filius, legatione Romana feliciter confecta domum reversus ingenti civium gaudio excipitur nec obscuris votis patris successor destinatur. certatim enim omnes eum complecti, pacis auctorem laudibus ferre et veluti Solem orientem adorare. aegre hoc tulit Perseus, maior natu filius, sed ex pellice; cumque nullam spem regni sibi superesse cerneret, nisi in scelere, ad id confugiendum ratus, paternis amicis in suas partes traductis, fratrem calumniari tanquam Romanis nimis ad dictum non destitit, praesertim cum Rex ad bellum animum inclinasset. nec id satis: ubi post ludicum certamen victor Demetrius nocte cum suis aequalibus comissatum ad Persei aedes iverat, accusatus est, ac si cum armatis ad caedem patrandam venisset. audita causa nil severius in eum statuit Rex, omnium tamen consiliorum, quae ad bellum Romanum spectabant, expertem habuit ac a se dimissum Didae Praetori Paeoniae commendavit. hic iuvenem incautum subdolis verbis - ita enim a Perseo monitus fuerat - circumvenit, ut omnia ei arcana proderet, fugae etiam consilium, qua Romanam petere decreverat. quod ubi Philippo renuntiatum et falsae litterae T. Quintii allatae fuere, Demetrius clam asservari iussus et demum occidi. in caena igitur venenum datum; quod cum paulo tardius vim suam exsereret, intromissi, qui inieictis tapetibus in caput faucesque spiritum intercluderent. Philippus ab Antigono fraudes dolosque Persei edoctus, filii fatis ingemuit et brevi post maerore ac senio extinctus est.

(Livius lib. 40, Polyb. Excerpt. Legat. 50)

Personae

Philippus	Rex Macedoniae	Herodorus	Aulici
Demetrius	Philippi filii	Callisthenes	
Perseus		Chorippus	
Q. Marcius	Legatus Romanus	Aglauros	
		Philotas	
		Parmeno	
		Lycotas	
		Melissus	
		Machaon	
		Pyrrhus	
		Metrodorus	
		Philaemon	

Didas	Praetor Paeoniae	Fraus
Lysimachus	Proceres	Crudelitas
Onomastus		Audacia
Antigonus		Diffidentia
Philocles		Amor
Apelles		Virtus
Amyntas		Nemesis
Perdicca		Terror
Damocles		Error
Thyrsis	Proditores	Mars
Alexander		Tempus
Craterus	Milites	Versutia
Polycrates		Candor
Hoplomachus		Iustitia
Dulomorus	omnibus aptus	Hymenaeus
Manlius	Miles Romanus	Odium
Theoxena	nobilis mulier e Macedonia	Laetitia
Poris	Theoxenae maritus	Tranquillitas
Amyntas	filii Theoxenae	Morpheus
Cresphon		Mercurius
Antiochus		Flora
Cassander		Narcissus
Aridaeus		Hyacinthus
Vmbrae occisorum		Amaranthus
Captivi		Heliotropium
Telephus	Bastarnarum Princeps	Innocentia
Pausanias	nobilis Bastarna	Napaea
Acharis	mulier deformis	Dryas
Vmbra Charicleae	matris Demetrii	Tyrannis
Oenosophus	caupo	Conscientia
Hydrochous	Oenosophi servus	Charon
		Fortuna
		Mors

Prologus

Fraus, Crudelitas, Audacia, Diffidentia,
<Amor>, Virtus, Nemesis, Terror, Error

*Fraus et Crudelitas aulam Regum turbare contendunt, quibus se opponunt Amor ac
Virtus. verum ex aula Macedonica cedere iubet Nemesis eamque Fraudis consignat.*

Fraus	Dudum Candor cessit ab orbe. Aulas Regum sola guberno: Pronis animis iussa capessunt Et mea Proceres castra sequuntur.	
Crud.	Sum tibi nexus iuncta fideli, Avidas fauces sanguine pasco, Quem tua nobis dextra propinat.	5
Aud.	Absque audaci robore mentis Nemo Fraudes nectere tentet.	
Diff.	Nulli fidat, quisquis tuto Fallere quaerit.	10
Fraus	Sociate manus, pectora fida: Amor ac Virtus exulet orbe.	
Crud.	Pareo Fraudis.	
Aud.	sit firma fides.	
Diff.	Nostra quis unquam faedera solvat?	15
Fraus, Crud.	Amor ac Virtus exulet orbe.	
Am.	Me sine nullum regnum est tutum, Animis magnis impero solus. Vincit Amor, quos fera Bellona Vincere nescit.	20
Vir.	Dum Virtuti regia pandit Aula fores, non metuit casum.	
Am.	Regum Virtus est prima salus.	
Vir.	Amor est Regum clypeus firmus Omnia contra spicula sortis.	25
	Hic sed quid agunt perdita monstra?	
Fraus	Mihi sublimes vindico turres, Iunctaque mecum turba sororum. Alias sedes quaerite vobis.	
Am.	Regia sedes semper Amoris.	30
Vir.	Semper Virtus incolit aulam. Cedite, pestes.	
Aud.	cedite, monstra.	
Am.	Nos cedamus vitiis aulam?	

Fraus	Quis vesano cedat Amori?	
Nem.	Locus hoc regno nullus Amori Et tibi nullus, candida Virtus; Scelerum paenas Nemesis poscit. Post tot clades, funera, caedes Natum perimat male persuasi Ira Philippi, Regia Fraudis pateat soli. Arma ministret Furor ac Terror, Spondeat operam lubricus Error.	35
Terr.	Animum Regis quatiet Terror, Simulacra pavor vana ciebit.	40
Err.	Sollicitis, ne dubita, curis Imbuet Error.	45
Am., Vir.	Cedimus ergo. sic fata iubent.	
Nem.	Aliis sedem quaerite regnis. Hic cuncta strepant plena tumultu.	50
Fraus, Crud.	Nemesis iussis parere iuvat. Plena tumultu nostra erit arte Aula Philippi.	

Actus primus

Scena prima

Demetrius, Herodorus, Callisthenes, Q. Marcius

Demetrius Roma in Macedoniam reversus laetatur cum amicis, prospere sibi legationem cessisse, laudat urbem ac Senatum. properanti ad patrem Legatus Romanus Q. Marcius occurrit.

Dem.	Patrios penates, regiam intueor domum. Favete, comites: prospere cessit mihi Legatio. discrimine exempta et metu Est chara belli Aemathia. lacrymis hoc meis Dedit Senatus, nuntium ut laetum patri Roma referrem.	55
Her.	publica, o Princeps, quies Per te reducta, reddit a et regno salus.	60
Call.	Nullas timemus Martis incerti vices, Dum pacis et tranquillitatis sunt tibi Arbitria commissa, patriae o fulcrum unicum.	
Dem.	At quanta maiestas Senatus! quis patrum Celebrazione possit gloriam? verbis decus Quis assequatur?	65
Call.	quot Senatores vides, Tot considere existima Reges simul.	
Her.	Quam vero amici? gratiae ut larga est manus?	
Dem.	Cuncta impetravi, petere quae iussit parens.	
Call.	Movit iuventus, indoles movit tua.	70
Her.	Egregia forma, regiae frontis iubar Felicitate perorat et prodest suae, Dux magne, causae.	
Dem.	gesta nunc tempus monet Narrare patri. sed quis huc gressum movet?	
Her.	Legatus est Romanus.	
Dem.	o salve meum Columen decusque.	75
Marc.	regium amplector genus.	
Dem.	Quam Marcium advenisse laetor!	
Marc.	quam iuvat Domum rediisse Principem salvum.	
Dem.	iubet Adire Regem? muneri haud deero.	
Marc.	lubet Praeeunte nato Regis alloquio frui.	80

Scena secunda

Chorippus, Aglauros, Philotas, Parmeno, Lycotas, Melissus, Machaon

Varius rumor inter Aulicos de adventu Demetrii.

- | | |
|--|--|
| <p>Chor. Demetrius Roma reversus quid tulit?
Pacemne vel bellum?</p> <p>Agl. Senatus quod iubet.</p> <p>Chor. An nos Senatus cogat ut servos, suis
Parere iussis?</p> <p>Agl. coget.</p> <p>Chor. haud aequum arbitror.
Iniqua, quid, si iusserit?</p> <p>Agl. tacitus feres.</p> <p>Chor. Nunquam potentis excutere tutum est iugum.</p> <p>Chor. At servitutis nexibus sese eximit
Animus virilis, arma dum vibrat manus.</p> <p>Agl. Et saepe tristi subiacet cladi nimis
Incauta virtus ac necem palmae vice
Aut vincla captat.</p> <p>Chor. provocare virum decet
Pericla, nunquam terga fortunae dare.</p> <p>Philot. Sors laeta! pacem nuntiat Demetrius.</p> <p>Agl. O sidera! o coelum!</p> <p>Chor. horridae Ditis specus!</p> <p>Philot. Pacemne spernis?</p> <p>Chor. sperno, contemno, exsecror.</p> <p>Agl. Nutritus in Martis sinu pacem colam?</p> <p>Agl. Parentis educatus in molli sinu
Pensum diurnum absolve, non hastam quate.</p> <p>Chor. Transfigo, ni recedis, ignavum latus.</p> <p>Agl. Non timeo. telum nostra disiciet manus.</p> <p>Chor. Cave. ni vererer Regis iram, iam Stygi
Dudum innatares.</p> <p>Agl. ense concitus tuo?</p> <p>Par. Ad arma! ad arma!</p> <p>Agl. quid ita?</p> <p>Par. Romani vocant.</p> <p>Philot. De pace primum sermo; iam rumor levis
Bellum minatur? credere haud famae lubet.</p> <p>Lyc. Aut praeliandum aut serviendum hosti gravi.</p> <p>Agl. Queis ergo noster legibus Demetrius
Transegit?</p> | <p style="margin-bottom: 20px;">85</p> <p style="margin-bottom: 20px;">90</p> <p style="margin-bottom: 20px;">95</p> <p style="margin-bottom: 20px;">100</p> <p style="margin-bottom: 20px;">105</p> |
|--|--|

Lyc.	irreitus imprudens dolo.	
Chor.	Praeceperam ante.	
Agl.	quis auctor est huius rei?	
Lyc.	Sic fama spargit.	
Philot.	vera vix novit loqui,	110
	Mendacio nos ludere et falsis amat.	
Mel.	Audite, cives, legibus iustis vetus	
	Inter Macedones praepotentesque Ausones	
	Faedus novatum.	
Philot.	o nulla dissolvat dies!	
Mach.	Stabilita pax in gratiam iuvenis Ducis,	115
	Infida tamen et involucris non carens.	
Chor.	Est pace dubia tutior belli alea.	
Mel.	At destituti viribus pacem colant.	
Chor.	Adeone defecere vires ac viri,	
	Vt sustinendo simus haud bello pares?	120
	Me, me videte. has legio non vincet manus.	
Agl.	Novus hic Achilles: vulneri primus patet.	
Mel.	Sine. certiora crastina docebit dies.	

Scena tertia

Philippus, Perseus, Lysimachus, Onomastus,
Antigonus, Q. Marcius, Demetrius

Philippus Rex precario se imperare conqueritur. Legatum Romanum, qui Senatus mandata exponit, admittit ac Demetrium.

Phil.	Quam dura regni sors, ubi arbitrio tuo Regnare non possis, sed alienum sequi Cogaris atque accipere leges, non dare. Aemathia felix, quando maiestas Ducum, Subiecta nulli, iura praescripsit suis Sanxitque populis! nunc iugo premitur gravi, Romana dum nos arma percellunt metu.	125
Pers.	Antiqua, Rex, revocanda libertas tibi.	
Phil.	Quid destitutus fortibus turmis queam Tentare?	
Lys.	potius tempori aptari decet.	
Ono.	Discriminis res maximi est, hostem adgredi Potentiorem.	
Pers.	imperia sed miserum est pati.	135

Lys.	Superanda sors ferendo, dum melior dies In pristinum reponat afflictos statum.	
Ono.	Semper vicissitudo regnorum est comes, Tolluntur et labuntur. ut fervens modo Euripus undas sorbet, attollit modo, Sic impotens fortuna sublimes solo Allidit arces atque easdem, cum lubet, Ad astra celsum erigere permittit caput.	140
Phil.	Sperare vetitum nemini. faxit Deus, Meliora natos fata nancisci meos.	145
Ant.	Roma profectus regias aedes subiit Legatus et Demetrius, natus tuus.	
Phil.	Admitte propere. causa fors vicit mea.	
Ono.	Non semper ore nubilo coelum tonat; Phaebus sereno saepius vultu micat.	150
Phil.	Quidquid sit, animus non levi trepidat metu.	
Lys.	Imago nonnunquam vaga pavorem ciet. Sed ecce, prope sunt.	
Marc.	fata te salvum diu, Rex magne, praestent. missus imperio Patrum Populi Quiritum, dubia ne litis mora Iurata rumpat pacta, nexu arcto datam Ambigua decidendo constringam fidem. Praecipua causa filii est studium tui. Hunc aestimat Senatus, et populus colit. Plura ipse referet.	155
Phil.	maximum munus Patrum	160
	Agnosco, te ablegasse, qui diram cluas Calumniam et tuearis antiquum decus Ac iura regni. audire nunc natum placet.	
Dem.	Invicte Rex, legatio ex voto mihi Successit: annuit Senatus nec tuas Aegre querelas audiit. magno insuper Honore me complexus, adiecit, patrem, Quod filium mandarit, egisse optime. Oblivione tegenda, quae recte minus Contraque Patrum sint voluntatem hactenus	165
	Acta atque gesta. si quid haud liquidum satis, Id explicabit Marcius; cuncta integra Tibi sunt, amica pace si cupias frui.	
Phil.	Bene est. Senatus gratiam admitto lubens.	170

Scena quarta

Melissus, Machaon, Lycotas, Mars, Tempus

Dum Macedones Demetrium laudibus tollunt et pacem bello praeferunt, Mars ad arma invitat, ac Tempus olivae ramis gladios innecit.

- | | | |
|------------|--|-----|
| Mel. | Quod fama nuper sparserat,
Nunc esse cerno verum:
Belli metus depulsus est
Tristisque Martis horror. | 175 |
| Mach. | Pax visa terris cedere;
Demetrius reduxit. | 180 |
| Lyc. | Aemathia tanto munere
Obstricta non silebit.
Ad astra tollet Principem
Caputque cinget auro.
Pax alma donum coelitum,
Pax potior est triumphis. | 185 |
| Mar. | Ad arma Mavors provocat,
Queis gloriae cupido. | |
| Mel. | Eiuro tela, protero
Furentis arma Martis. | 190 |
| Mach. | Trophaea pulchra res quidem,
Sed patriae haud nocebo. | |
| Mar. | Rem patriae qui promovent,
Ex hostibus triumphant. | |
| Temp. | Gladios olivae nectite;
Mars quippe praevalebit. | 195 |
| Mel. | Non necto. | |
| Temp. | nectes. | |
| Lyc. | bellico
Non aestuo furore. | |
| Temp. | Dat Tempus arma, sumite.
Quis Tempori resistet? | 200 |
| Mar. | Mavors iubet cum Tempore;
Pax semper haud manebit. | |
| Mach. | Ergone rursus classicum
Canemus et gememus? | |
| Mar., Tem. | Sic Tempus et Mavors iubent,
Domini nimis potentes. | 205 |
| Mel. | Cedamus igitur Tempori,
Sumamus arma laeti. | |

- Lyc. An nostra, quaeso, gloria
Redibit ac vigebit? 210
- Mach. Florebit Aemathiae decus,
Gentesque sternet ensis.

Scena quinta

Perseus, Philocles, Apelles

Perseus indignatur praeferri sibi fratrem. Philocles et Apelles consilium suggestunt, ut Regem ad bellum Romanum sollicitet, Demetrium sic facile submoturus.

- Pers. O tristis aura sortis! o fatum asperum!
Cedam minori? Perseus Demetrio
Sceptrum relinquat? aurea cingat caput 215
Frater corona? sic iubet populi favor,
Et Roma poscit. o Dii! hoc probrum feram?
Corrigere quod nequis, ferendo fit leve.
At animus ardens, gloriae incensus face,
Iniuriam concoquere nescit, sed furt 220
Solertiamque mentis argutae advocat
Nec se explicare novit in tanto malo.
- Philoc. Meliora spera. suadet aetas et patris
In te voluntas prona. quid vulgi movet
Te vilis aura? semper inconstans, vagum; 225
Quem coluit, odit, quemque contempsit, probat.
- Pers. At Roma tollit.
- Apell. hinc patri invitus magis.
- Pers. Romana metuit arma.
- Philoc. dum ponit sua.
Hastam resumat, igne compescat faces.
- Pers. Sed pace gaudet.
- Apell. lubrica, infida.
- Pers. pavor 230
Terrorque populos nominis tanti tenet.
- Apell. Inane nomen! gloriae nostrae decus
Latissime se extendit, ad Solis domum
Orbisque metas.
- Pers. ergo spes reliqua est mihi?
- Philoc. Confide, Princeps.
- Pers. fratre vivo quid queam 235
Sperare?

Apell.	regnum.	
Pers.	vix licebit. iam sibi	
	Diadema spondet, sceptrum iam gestat manu.	
Philoc.	Haud amplius gestabit, ubi turmas parens	
	Contra Senatum rapiet.	
Pers.	o faxit polus!	
Apell.	Rumpenda pax suspecta. noster sit labor	240
	Suadere Regi.	
Pers.	pronus ad bellum pater,	
	Formidat hostes.	
Philoc.	regium pectus metu	
	Omni vacare debet.	
Pers.	at Demetrius	
	Pro pace stabit.	
Apell.	causa sic vincet tua.	
	Te Rex fovebit et gravi illum odio premet.	245
Pers.	Non abnuo. consilia sic cedent bene.	

Chorus

Versutia, Candor, Iustitia

*Versutia cum Candore de principatu iaculis contendit et felici successu coronam ferit.
aberrat Candor ac configitur, quem Iustitia coelo delapsa inter sidera refert.*

Vers.	Suprema quisquis culmina Ambit potentis aulae, Me corde condat intimo Et pectoris medullis.	250
Cand.	Ni Candor adsit, sontico Morbo laborat orbis.	
Vers.	Quid gloriaris, improbe? Arcana cuncta prodis.	255
Cand.	Sint nuda quamvis pectora, Secreta non revelo	
Vers.	Vt limpidus nunquam lacus Suos tegit recessus,	260
	Arcana mentis candidae Sic luce clariora.	
Cand.	Dum nulla fraus nos occupet.	

Vers.	At fraudibus patebis.	
Cand.	Nunquam patebo.	
Vers.	falletis.	265
	Iam te docebo verum.	
Cand.	Non credo.	
Vers.	sit dictis fides.	
	Intende, quaeso, nervum.	
Cand.	Haec meta nobis?	
Vers.	spiculum.	
	Iam mitte.	
Cand.	aberrat arcus.	270
Vers.	Est doctior nobis manus,	
	Est certior sagitta.	
Cand.	Sit certior sagitta, me	
	Non semper arte vinces.	
Vers.	Bis victe, cede. quid diu,	275
	Proterve, nos moraris?	
Cand.	Non cedo.	
Vers.	cede, contumax.	
Cand.	Non cedo.	
Vers.	iam recedes.	
Cand.	Eheu, cado! o Rector poli!	
Vers.	Habet. scelus peractum est.	280
	Regina nunc sum. Perseus	
	Sic praevalebit astu.	
Iust.	Astraea linquo sidera	
	Iterumque viso terras,	
	Vt innocens Demetrius	285
	Ac iusta causa vincat.	
	Sed quid oculis sese ingerit?	
	An Candor est peremptus?	
	Versutiae haec est machina.	
	Sic rursus orbe cedo,	290
	Mecum cadaver auferam:	
	Radiabit inter astra.	

Actus secundus

Scena prima

Q. Marcius, Demetrius, Aglaurus

Quintus Marcius diffidit Regi. Demetrius se in amicitia Romana colenda fore constantem promittit; quem populus complectitur et civicam coronam donat.

- | | | |
|-------|---|-----|
| Marc. | Suspectus animus Regis, ambigua est fides,
Et dubia dicta factaque omnia. non diu
Pacem colet pactisve stabit. nam velut
E rupe scissa pendulum saxum gravi
Casum minatur pondere, haud praeceps cadit,
Dum subruatur imbribus; sic Rex mihi
Affectus esse videtur. in belli minas
Propendet. obstant plura, quae Martem vetant; | 295 |
| | Quibus remotis pronus in pugnam ruet. | 300 |
| Dem. | Non vana coniectura. vix credo tamen
Aperta fractum odia professurum patrem. | |
| Marc. | Necessitate pressus observat datas
Recipitque leges. ferreum hoc vinclum excute, | 305 |
| | Officia non praestabit. | |
| Dem. | at pacem volet | |
| | Bellum perosus populus. | |
| Marc. | assuetus diu | |
| | Parere Regibus, arma capiet cum Duce. | |
| Dem. | Ne patria duro rursus infelix gemat
Oppressa bello, curae erit Demetrio; | 310 |
| | Et, ne Senatus spernat imperium parens. | |
| Marc. | Agnosco fidum pectus et laudo indolem,
Sed concitatum Regis ingenium scio. | |
| Dem. | Quid moliatur aut agat tandem pater,
Tempus docebit. nemo me, quantum licet | 315 |
| | Pietate salva, abducet in partes suas,
Vt pacta non custodiam, frangam fidem. | |
| | Dum Luna noctu siderum ducet chorum,
Phaebus diurna luce dum sparget polum, | |
| | Romana nobis sancta maiestas erit. | |
| Marc. | O magne Princeps, Roma te gestat sinu. | |
| Agl. | Aemathia salva est, salvus ubi Demetrius.
Felicitatis solus hic nostrae parens | |
| | Et publicae quietis, o magnum decus | |
| | Dignum corona! civicam ob patriam cape | 325 |

	Civesque servatos. tuorum utinam notas Et signa amoris cerneret. pacem tibi Debemus omnes. pectore o laeto excipe, Quod civis offert munus.	
Dem.	ingenti mihi Placuisse vobis duco honori; sed nimis Me laudibus oneratis. haud stirpe editus Sim regia, nisi grata me devinciat Semper voluntas.	330
Agl.	nutui addicti sumus.	
Marc.	Pulcherrima haec contentio, Princeps ubi Certare benevolentia et populus solet.	335

Scena secunda

Philipus, Perseus, Antigonus

	<i>Philipus aegre fert se negligi et Solem orientem adorari; metuque omnes interfectorum a se filios in custodiam detrudi aut occidi iubet, quamvis dissuadeat Antigonus.</i>	
Phil.	Phaebi cadentis dulcius fertur iubar, Sed pauci adorant; Solis orientis faces Venerantur omnes. regiam haec sortem exprimit Imago. iuvenum purpuram quivis colit, At cum senuerit, spreta maiestas iacet. Successor urget, populus hunc sequitur Ducem.	340
Pers.	Vix fata patris natus exspectat ferox. Vndas per urbem plebis ingentes trahit Et omnium ora vertit in se Rex novus.	
Phil.	Heu crimen! huc vivendo deveni, ut meum Timere natum cogar? at gravior dolor Coquit medullas, tristior versat metus.	345
Ant.	Ne tege dolorem: saevius tectus furit.	
Phil.	Cuctatur animus dicere atque horret malum.	
Pers.	An nos vereris? en, sinus fidus patet.	350
Phil.	Denudo pectus. esse tutus non quo,. Nisi liberi a nobis peremptorum patres Sequantur atque saxeо clausi specu Frangantur.	
Ant.	insontes?	
Phil.	nocentes, dum mihi Regnoque moliuntur insidias meo.	355

Ant.	Quis sceleris arguit reos?	
Phil.	mors ac timor.	
Pers.	Vindicta patrum stimulat ulcisci necem.	
Phil.	Capiantur, occidantur omnes: Rex iubet.	
Ant.	Imperia saeva nemo continuit diu.	
Phil.	Vbi saeviendum, noxia est pietas Ducum.	360
Pers.	Quem metuit hostem, nemo mactatum dolet.	
Phil.	Praestat reos perire, quam regni salus	
	Trahat ruinam.	
Ant.	nescit inflecti tumor.	

Scena tertia

Dulomorus, Chorippus, Manlius

Dulomorus sorte sua non contentus militem agit; et dum Manlius Chorippum prosternit ac armis nudat, ipse se quoque spolia detracturum ratus accurrit, sed magno suo malo.

Dul.	Quam laeta Dulomori Et quam beata vita? Mutare militari Hanc gloria quis optet? Quamvis cruenta Martis Librare tela norit, Modo me tamen iuvabit In militem migrare Et obivos ferire. Vicissitudo grata est. Non semper est iocandum, Non semper ambulandum: Pugnare iam decebit.	365
	At ecce, gressum militares huc viri. Me condo: forte sunt feroces. non placet Ientaculum e pugnis, nec esurio modo.	370
Chor.	Quis fortior me vivit aut robustior?	375
Man.	Me, me intuere. mole sub parva latet Immensus animus.	
Chor.	musca, quid frustra strepis?	
Man.	Haec musca vesanum reformabit caput.	
Chor.	Mille tibi similes unico sterno impetu.	
Man.	Non cedo. tenta, accede.	

Chor.	sic ferrum vibro;	385
	Nec Manlios nec Romuli timeo gregem.	
	Ego sub Philippo dextera hac centum viros	
	Vna peremi luce. quid tacitus stupes?	
Man.	Admiror ingens robur, invadit pavor.	
Chor.	Prudenter. at si plura commemorem, metu	390
	Migrabis in lepusculum trepidum; negas?	
	Trecenta millia barbarorum olim hostium	
	Hoc ense viso corruerunt cum suo	
	Ductore.	
Man.	pro Dii! genua complector tua.	
Chor.	O crimen!	
Man.	en, Romana quid virtus queat.	395
Chor.	Laedat profanus!	
Man.	ubi ensis? ubi framea?	
Chor.	o scelus!	
Man.	Faedare nolo sanguine infami manus.	
	Ignave, dormi; Achille te natum crepa.	
Dul.	Ruente quercu quilibet lignum legit.	
	Tentabo. praedam forte sic mecum auferam.	400
	Fortuna, sis propitia. quam cassis placet!	
	Satis est. tremit pavore. thoracem quoque	
	Surripio.	
Chor.	quis mea mihi?	
Dul.	quid clamas, miser?	
	Exutus armis?	
Chor.	senties robur meum.	
Dul.	Non metuo. spolia opima, non cernis, tuli.	405
Chor.	Quis latro?	
Dul.	Dulomorus haud latro vocor.	
Chor.	A Dulomoro ludor?	
Dul.	abscede, aut caput	
	Recido.	
Chor.	virtus saepe quoque victis redit.	
Dul.	Abito; vitam deputa lucro.	
Chor.	prius	
	Sed iunge dextram, quaeso; promittas mihi,	410
	Nocere te nolle amplius quidquam.	
Dul.	tene.	
Chor.	Iam redde, quod non est tuum; etiam, quod tuum est,	
	Proterve, trade.	
Dul.	o fata! ne vitam eripe,	
	Concedo cuncta.	
Chor.	parta sic rursus mihi	
	Est gloria. ensem nactus ac hastam simul	415
	Adgrediar hostes.	

Dul. miles infelix fui:
 Alienum dum appeto, mea amisi. aleam
 Tentare nolo Martis insani; sapit
 Piscator ictus. cautius posthac agam.

Scena quarta

Theoxena, Poris, Amyntas, Cresphon, Antiochus, Cassander, Aridaeus

Theoxena crudeli Regis edicto territa fugam cum marito meditatur; verum si retrahatur, occidere potius filios statuit quam regiae servituti et ludibrio exponere. animat proinde, ut gladio vel veneno se ipsos perimant. cui prompte omnes parent.

Theo.	Heu, fuge, marite; littus infaustum fuge. Conscende navim, Regis edictum premit.	420
Por.	O fida coniux, animus ingenti malo Perculsus haeret: timeo, ne nati ... vetat Dolor profari plura.	
Theo.	nisi Athenas petas, Ludibria, carcer, vincula et squalor manent.	425
Amy.	Cur innocentes Regis exagitat furor?	
Theo.	Crudus tyrannus aestuat dubio metu, Ne crimen ulciscantur admissum in patres Nati relicti.	
Cres.	affligere insontes nefas.	
Theo.	Credit nocentes.	
Ant.	suspicio quantum levis	430
	Adfert malorum!	
Por.	regiae hanc aulae fovent	
	Aluntque.	
Cass.	monstrum infame, quod nutrit timor Et vana pascit umbra.	
Theo.	celeremus gradum, Nobis salutem sola praestabit fuga.	
Arid.	Fugiamus ergo. patria - heu! - longum vale?	435
Por.	Quid, si tyrannus e fuga retrahi iubet?	
Theo.	Moriamur omnes, antequam nostros gravet Artus catena; liberos perimam prius, Subesse tristi ferre quam possim iugo.	
Por.	Meliora, Superi! facinus horrendum, suos Mactare natos.	440
Theo.	fixa stat sententia. Servire cernam, cum mori liceat, meos?	

	Properate, chara pignora; o coelum, iuva!	
	Fortuna si destituat et miles trahat	
	In vincla, morte parta libertas erit.	445
	Arripite ferrum. cui metu pectus labat,	
	Sumat venenum et segnius fatum occupet.	
Amy.	Ferro peribo.	
Cres.	transadigat ensis latus!	
Ant.	Mucrone tento pectus.	
Cass.	aevi tam brevis,	
	Heu, flosculus recidar?	
Por.	o sortem asperam!	450
Theo.	Mors una vindicta est, viae huc ducunt duae.	
	Crudelitatem, dum potes, Regis fuge,	
	O nate, gladio vel veneno.	
Cass.	atrum hauriam	
	Potius venenum.	
Arid.	strictus haud terret mucro.	
	Hoc, hoc virilem spiritum expellam puer.	455
Theo.	Sic agite, nati. nemo vos duro premat	
	Iugo subactos. mater extinctos sequar.	
Por.	O maesta sors, mors sola ubi effugium est mali!	

Scena quinta

Perseus, Amyntas, Perdicca, Pyrrhus

Perseus aulae ministros et regni Proceres a fratre avertit et in suas partes traducit.

Pers.	Fortuna Regum semper ambiguo in loco est;	
	Vix pace gaudent, rursus insidias timent.	460
	Saepe a propinquis imminet regno lues,	
	Saepe a remotis. natus haud credit patri,	
	Suspecta fratris est fides. plura hostibus	
	Produntur in patriae ruinam.	
Amy.	quis scelus	
	Tantum ausit?	
Pers.	effari pudet. paenas luat	465
	Caput profanum.	
Perd.	expende sed causam prius.	
Pers.	Quodcunque moliatur aut mandet parens,	
	Hoc Roma novit.	

Pyr.	iudicem nullum timet	
Rex iustus.		
Pers.	at consilia, queis patriae salus	
Innititur, sic deteguntur. non nefas		470
Id credis esse?		
Perd.	immane crimen.	
Pers.	sed meum,	
Iam nolo plura.		
Amy.	quidquid arcani tegis,	
Eloquere, Princeps; arbitris vacuus locus,		
Et nos amici.		
Pers.	regium spondet sibi	
Diadema frater; inde Romani - heu pudor! -		475
Fidus satelles est Senatus et patris		
Secreta prodit.		
Pyr.	iuvenis ignarus doli.	
Amy.	Lactat Senatus, forte spe vana tamen.	
Pers.	Et Macedones sectantur, ac Patres fovent.	
At servituti Aemathia subdetur brevi,		480
Si Roma Regem imponat.		
Pyr.	id vereor quidem.	
Pers.	Hinc providendum, patria ne tanto malo	
Convulsa pereat.		
Perd.	liberis triste est pati	
Dominos superbos.		
Pyr.	stirpe generosa velut	
Equus editus subire detrectat iugum,		485
Servire sic quoque magni et audaces viri.		
Amy.	Ingrata novitas; prisca libertas placet.	
Pers.	Faedus ineamus, patriam ne hostes premant.	
Pyr.	Demetrio valedico; te, Perseu, sequar.	
Amy.	Eadem voluntas, animus est idem mihi.	
Perd.	Adiungo votum.	490
Pers.	dextra sit pignus sacrae,	
Sincera pectora, fidei.		
Perd.	rata fit fides.	

Scena sexta

Philocles, Metrodorus, Demetrius, Philotas, Manlius, Chorippus

Philocles astutiam suam commendat, irridet candorem Demetrii; qui dum Romanos acriter defendit ac alii deludunt, res certamini committitur, in quo Chorippus Macedo Manlium invasurus armis Dulomori utitur atque ab omnibus ludibrio habetur.

- Philoc. Quicunque fraudes serere novit, qui dolis
Innectere dolos, ora paeferre, ut decet,
Amica vultu verba composito dare,
Aures negare nulli, adulari omnibus,
Licet in recessu pectoris virus coquat,
Aulae favorem, gratiam Regum metet.
Hac arte destitutus in sylvas migret,
Facessat urbe, civium cedat foro. 495
- Met. Tam clara sunt, quae dicis, ac Phaebi iubar.
- Philoc. Demetrii hinc admiror ingenium rude,
Omnibus apertum, fraudis ignarum et doli.
- Met. Candoris olim iuvenis infelix luet
Dabitque paenas.
- Philoc. in plagas fratris cadet. 505
Sed ecce, lento fertur huc Princeps gradu.
- Dem. Quid ais, Philota, non placet miles tibi
Romanus?
- Philot. arma cum cibo et lignis gerit;
Servile nimis hoc.
- Dem. membra consolidat labor
Ac firma reddit; maius hinc robur viris. 510
- Philot. Centurio vite militum frangit caput.
- Dem. Punire militare delictum decet.
- Philot. Haud vera virtus, quam metus tantum incitat.
Vir fortis ipse stimulus et froenum sibi.
- Dem. Non vera virtus, quae tot armatas domat
Subigitque gentes? 515
- Philot. Principum hoc culpa accidit,
Qui noluere sistere ruentem impetum
Potentiae exundantis, in sylvas suas
Abigere pastores. levi conamine
Tum flamma, quae tot corripit populos, foret
Repressa. iam, dum desidet quivis domi
Vicinia flagrante nec vires suas
Iungunt propinqui, latius crevit furor;
Orbisque coepit ferre Romanum iugum. 520

Dem.	Excussit orbis, Roma dum imperio regit Miti subactos, Principum inconstans iugum.	525
Philoc.	Quam vera, Ductor. profuit multis capi, Quicunque libertate abusi sunt sua.	
Met.	At doleo patriae vicem, si hostis premat Romanus.	
Dem.	arma ni prius capiat parens, Pax stabit inconcussa.	530
Philot.	nil metuo, modo Sit fida sociorum cohors.	
Philoc.	verum gravis Mars terret ac fortuna Romani Ducis.	
Philot.	Plerique nulla bella gesserunt Duces, In urbe nutriti et toga.	
Dem.	vincunt tamen.	535
Philot.	Macedo latroni bellicum cedat decus? Committe cum Macedone Romanum.	
Dem.	placet Conditio. curre, Manlium huc adduc, puer.	
Philot.	Et tu Chorippum.	
Met.	vicimus.	
Dem.	specta exitum.	
Man.	Imperia pronus excipo: Princeps, iube.	540
Chor.	Vt grata sitienti unda, sic bellum mihi.	
Man.	Ignave, te iactas? an indutus novis Es rursus armis?	
Chor.	confer huc propius gradum.	
Man.	Immotus adsto.	
Chor.	tela iam libro et caput Ferro recido. sed quid hoc? ensem latro	545
	Surripuit aut benefica tremendo sono.	
Dem.	O militem fortem?	
Philoc.	virum intrepidum!	
Philot.	pudet Vocasse.	
Met.	tela Dulomori sunt.	
Man.	sua Amisit, a me victus.	
Dem.	o probrum! o nefas!	
Philot.	Ocyus inertem in carcerem detrudite.	550
Chor.	Ignosce, Princeps, nec meam sortem grava Squalore tetro. sum vir infelix nimis.	
Dem.	Abi, proterve. sit pudor paenae satis.	
Philot.	Sic noster arma miles? o patria! o Dii!	
Dem.	Succedet aliis, fortius figet pedem.	555

Chorus

Vmbræ occisorum, Captivi

*Vmbræ interfectorum a Philippo paenas caedis reposcunt et calamitatem imminentem
praesagiant. captivi et in carcere detenti occisos felices, se miseros clamant et vin-
dictam a Diis petunt.*

- | | | |
|-------|---|-----|
| Vmbr. | <p>Stygios Vmbræ liquimus amnes
Maestaque Ditis regna tremendi;
Aula retraxit dira Philippi,
Tartareo non melior luctu.
Inclyta quondam portio regni,
Fato atroci turba perempta,
Iustas paenas poscimus omnes.
Incitat ardor, vindicta iubet.
Oculis aequis aspice tandem,
Rector Olympi, funera misce.</p> | 560 |
| | <p>Perimat natum furor iratus
Et deceptus pignus ademptum
Defleat orbus tristisque lacus
Subeat tacitos. Persea cernat
Roma triumphans compede vinctum.
Stimulis saevis mens agitetur
Cruda tyranni.</p> | 565 |
| Capt. | <p>Felices o terque beati,
Quos tam gravibus mors exemit
Obvia paenis.
Vos Elysii nemoris tutis
Luditis umbris;
Nos fera torquent ora tyranni
Vultusque minax carcere peior.
Fletibus omnes resonant aedes,
Et lamentis perstrepit aula.
Vos nulla premunt vincula, dura
Membra catena gemimus vinciti.
O magne parens, luat infausti
Tandem paenas ira Philippi.
Respice miseros, vincula solve;</p> | 570 |
| | <p>Aut, si nolis demere nexus,
Eripe vitam.</p> | 575 |
| | | 580 |
| | | 585 |

Actus tertius

Scena prima

Damocles, Pyrrhus, Telephus, Pausanias, Perseus

*Telephus regius e Bastarnis iuvenis auxilia pollicetur Macedonibus ac sororem suam,
ut arctiori faedere coniungantur, despondet Perseo.*

Dam.	Peracta Regis iussa. Bastarnae sua Iunxere nobis arma. virtute inclyta Sequitur iuventus, regia stirpe edita; Auxilia spondet populus et bellum cupid.	590
Pyr.	Suffulta tanto robore hostes non timet Aemathia.	
Tel.	prompti commodant omnes manum Vestrum in favorem.	
Paus.	sanguinem fundam libens Philippi amore.	595
Pyr.	sed ecce, Perseus huc venit.	
Tel.	An ille, quem spes patris heredem fore?	
Pyr.	Ille ipse.	
Tel.	Perseus, regium amplector genus. Eximia fidi auxilia Bastarnae tuo Mittunt parenti. me prius in aulam tuli, Vt arctiori iungerem vinclo duas Gentes propinquas.	600
Pers.	faedus oblatum placet.	
Tel.	Affinitate fulciam Regis domum.	
Pers.	Amore nexos fortior nodus ligat Quam Marte iunctos.	
Paus.	nuptiae pacem fovent Concordiamque Principum.	605
Dam.	utilitas magis.	
Tel.	Connexa ubi simul, faedus haud rumpi solet.	
Dam.	Eadem voluntas Principum haud durat diu.	
Tel.	Durabit.	
Pers.	at quae sponsa ducetur domum?	
Tel.	Cassandra soror et nata supremi Ducis.	610
Dam.	Quae vincit ore Cypridem et Charitas genis.	
Pers.	Felix maritus, cuius amplexus petet.	
Tel.	Perseus maritus esse, si cupiat, potest.	
Pers.	O suavis ardor! dulce connubium! at parens ... Narrabo cuncta ex ordine.	

Tel. o faxint, precor,
Dii coniugales; vota fortunet polus. 615

Scena secunda

Dulomorus, Parmeno, Lycotas, Acharis

Dulomorus ab Aulicis persuadetur, ut amantem agat. promittitur praestanti forma nymphae; quam ubi obligata fide iunxit sibi, velo remoto, quo vultum obtexerat, furia aut larva apparet, quae nolentem secum abstrahit.

Dul.	Sumpsi arma; male res cessit. exutus fui, Spoliatus et delusus. indignor quidem, Sed ira quid sine viribus? vana est. feram, Mutare quod vix possit Herculeus labor. Quid nunc agendum? sorte contentus mea Vivam quietus, Martio strepitu procul Curisque belli.	620
Par.	o laeta sors ardentium, Quoscunque iunxit mutua Cypris face!	
Dul.	Amore flagras, Parmeno?	
Par.	dulci malo	625
	Laboro.	
Lyc.	quis tam ferreum pectus geret, Quem non genarum purpura et roseum decus Succendat oris?	
Dul.	quis nitor vestros, viri, Perstrinxit oculos?	
Par.	forma peregrinis procul Advecta terris.	
Dul.	quid si amantis des mihi Partes, Lycota?	630
Lyc.	credo, te acceptum fore Cunctisque praevalere, si poscas, procis Te posse solum.	
Par.	egone cedam, cui diu Desponsa iam Lycoris?	
Lyc.	abscede. haud ita est. A Dulomoro, iuro, ducetur domum.	635
Dul.	Amantis ut partes agam? obsecro te, instrue. Vorat medullas flamma, per venas calor Serpit refusus; pectus ardescit, tremit.	
Lyc.	Amantem oportet militem imitari.	

Dul.	heu mihi,	
	Si plura non addidicero in amoris Schola	640
	Quam Martis!	
Lyc.	omnia perpeti, ferre omnia.	
Par.	Lex dura.	
Lyc.	dominae nutibus morem geret	
	Iussisque semper capite detecto.	
Dul.	bene est.	
Lyc.	Vicos obbit saepius, numen suum	
	Vt spectet, excubabit ad rigidas fores,	
	Seu sit serenum, seu pluat nocte integra.	645
Dul.	Dormire non licebit?	
Par.	haud multum solent	
	Dormire amantes.	
Lyc.	verticem inflectet, manus	
	In circulum rotabit; et pedibus strepet	
	Terraeque pronus genua submittet sua,	650
	Vbi forte terrestrem salutabit Deam.	
	Sed ore suavi rideat, numen vocet,	
	Oculos micantis praferat stellis poli,	
	Nives genis appingat et labris rosas,	
	Licet nigranti sit cute informis.	
Dul.	scio,	655
	Audit libenter quaelibet laudes suas.	
Lyc.	Satis ista. plura docebit opportunitas	
	Et reliqui amantes. plena stultorum omnia.	
Dul.	Multum, Lycota, debeo monitis tuis.	
	Iam fingo vultum, genua iam flecto, caput	660
	Aperio.	
Lyc.	saltandum quoque est. mulier mori	
	Vix absque saltu aut vivere quiete queat.	
Dul.	Decentius saltabo, quam satyri solent.	
Lyc.	Placet. morare hic, sponsa dum cura mea	
	Adveniat.	
Dul.	o laetum diem! fer opem meis,	665
	Cupido, rebus. gaudeo et metuo simul.	
Par.	Quid metuis? en, cupita virgineum citat	
	Huc nympha gressum.	
Dul.	qualis in thalamos venit	
	Iuno Tonantis aut Thetis Pelei thorum.	
	O forma praestans! oris o gratum decus!	670
	Vt gemina lucent sidera, ut frons se explicat	
	Decentem in aream. trepido, flagro: calor	
	Saevit per ossa sicut Aethnaeis iugis	
	Succensa flamma. vota ne differ diu,	

	Divina Virgo; cernis ardorem: tuum Ne sperne servum.	675
Ach.	amore si caleas mei, Promitte, perpetuum hunc fore.	
Dul.	haud menti excidet. Per astra iuro et lucidas coeli plagas, Ardore constanti me adhaesurum tibi.	
Par.	Ne crede, nympha. fallere haud raro solent Promissa amantum.	680
Dul.	crede. nobis non placent, Qui multa spondent, negligunt sanctam fidem.	
Ach.	Sic Dulomore. sponsus hic fuerit meus.	
Dul.	O me beatum! Cyprium favit mihi Prae Marte Numen. pone sed velum, precor: Fruar decore.	
Ach.	ferre vix poteris mei Vultus nitorem.	
Dul.	o diva, ne spernas preces.	
Ach.	Fiat, quod optas.	
Dul.	heu, perii! coelum, iuva!	
Ach.	Quid refugis ora? coniugis vultum times?	
Dul.	Quis horror hic? quae noctis umbrae?	
Ach.	sum tua.	690
Dul.	Megaera, furia es. credidi nympham. dolo Sum captus, eheu! res tuas tibi habe.	
Ach.	domum Hac nocte duces.	
Dul.	nolo. abi, monstrum horridum.	
Ach.	Haud displicere, quod semel placuit, potest.	
Dul.	Megaera non displiceat? abscede, ah! fuge.	695
Ach.	Tecum morabor usque ad extremum diem.	
Dul.	Nolo te. abi, recede. non possum pati.	
Ach.	Quocunque gressum tuleris, uxor te sequar.	
Dul.	Ne sis molesta.	
Ach.	fortior vincet. doles?	
Dul.	Abripior - heu! - ad regiam inferni Iovis. Cavete, iuvenes. saepius pingit genas Ledaean venustas, pectore Alecto latet.	700

Scena tertia

Philippus, Perseus, Hymenaeus

Philippus Bastarnarum auxilio laetus, nuptiale faedus approbat. Demetrius a Perseo in suspicionem adducitur, ac si Romanis nimis addictus esset. Hymenaeus gratulatur sponsis, Perseo annulum desert et saltu gaudium testatur.

- | | | |
|-------|---|-----|
| Phil. | Serena tandem nubibus pulsis dies
Affulget et tardam senectutem fovet
Gravique pressam mole curarum levat.
Romana non timeo arma; Bastarnae sua
Auxilia mittunt. faedere aeterno cupit
Gens tota iungi. | 705 |
| Pers. | ambigua pactorum fides
Ne forte sit, connubia firmabunt fidem.
Iuvenis sororem regius tradet mihi
Arctissimoque vinculo annexet suos,
Vbi adesse senserit voluntatem tuam. | 710 |
| Phil. | Socientur animis, arma quos sociant, volo. | |
| Pers. | Coniugia saepe rebus afflictis opem
Tulere. | |
| Phil. | dum se mutuo auxilio iuvant
Genere propinqui. | 715 |
| Pers. | fama terrorem hostibus
Incutiet, animis propriis ubi nexos canet. | |
| Phil. | Sunt coruentis faedera imperii salus. | |
| Pers. | Amoris innodata praesertim manu. | |
| Phil. | In pristinum Aemathia reponetur statum
His nixa fulcris. | 720 |
| Pers. | ista quid prosunt tamen,
Domestica si fraude regnum non vacat?
Externa nil subsidia, nil miles iuvat,
Nisi speculatorum probe observet parens.
Nam proditorem dicere haud placet. est quidem
Hic corpore, animum Roma sed dudum tenet;
Omnes Macedones pene iam Regem colunt,
Certe futurum. genitor, a nato cave. | 725 |
| Phil. | Hostibus amicum saepe iam dictum mihi;
Nocere forsan ne queat, tacitus premam
Consilia belli. reliqua sint curae Deo. | 730 |
| Hym. | Ad nuptias festinus Hymenaeus venit
Castoque amantes faedere innexos cupit.
Cassandra stabili iuncta sit Perseo fide
Perseusque sponsae. vincula haec firmat Deus, | 735 |

Qui cuncta vincit, qui Iovem telis domat.
 Hunc, sponge, amoris annulum pignus cape,
 Vt sancta nunquam iura vilescant thori.
 Docebit ardor plura. nunc saltu monet
 Celebrare amantes tempus et laetis iocis.

740

Scena quarta

Amor, Mars, Fraus, Odium

Amor militem mentitus Martem provocat; sed nudatur a Fraude et Odio atque regia pellitur.

- Am. Quis natum Cypridis noverit uspiam,
 Dum cingor gladio telaque militum
 Spargo more, sagum dum teneros tegit
 Artus, ac oculis vincula detraho?
 Pugnabo. Aemathiae regia me colat,
 Non Martem. quid enim ferreus hic Deus?
 Debetur placido cura Cupidini,
 Sponsos perpetuo nectere faedere. 745
- Mars Quis Martem abstineat Regis ab aedibus?
 An tentat timidus pellere me puer? 750
- Am. Te Martem intrepidus provocat hic puer.
 Mars Contendat tibi Mars, spicula qui manu
 Evibrare nequis?
- Am. fulmina si Iovi
 Haec dextra excutiat, sit rudis ac iners?
 Mars Mavors tam leviter credere non solet. 755
- Am. Tenta, si lubeat; conserito manus.
 Mars Ni cedis, digitum vix moveo, et cades.
 Am. Nullum unquam metui.
 Mars me timeas tamen.
- Am. Quid victum timeam?
 Mars te pede protero.
 Am. Cur parcis gladio?
 Mars ne subeat pudor. 760
- Fraus Quis miles puer hic? non placet indoles.
 An Fraudem latet, hoc schemate qui latet?
 Od. Personam, soror, huic detrahe.
 Fraus non moror.
 Est natus Veneris.

Od.	vestibus exue.	
Fraus	Iam denudo sago.	
Od.	spicula surripe.	765
Am.	Eheu! redde meas exuvias mihi.	
Od.	Non reddo. quid enim turbidus occupas Hanc aulam, Nemesis nos cui destinat?	
Fraus	Mars, Fraus ac Odium venimus huc simul.	
Mars	Abscede hinc, spatium da melioribus.	770
Am.	Cedo. do spatium deterioribus.	

Scena quinta

Philippus, Perseus, Demetrius

Lustratur et expiatur cum Rege exercitus, sacrificio praecisae canis.

Phil.	Exercitum lustrare maiorum iubet Nos more tempus. exta praecisae canis Cum capite dextram, reliqua pars laevam viae Obsideat. arma insignia a stirpe ultima Regum efferantur.	
Pers.	sequimur imperium patris.	
Dem.	Promptusque miles sese ad obsequium parat.	
Phil.	Favete, Superi! pompa procedat, volo.	

Scena sexta

Philippus, Perseus, Demetrius, Herodorus, Philotas

Committitur pugna ludicra, eo tamen ardore, tanquam de regno inter Duces dimicatur. victor Demetrius fratrem in fugam conicit.

Phil.	Lustratio peracta; iam pugnam monet Ciere mos antiquus. armatis Duces	
	Praeite, nati: saepe praelusit gravi Mavors duello fictus.	780
Pers.	amplector lubens	
	Tua iussa, Rex.	
Dem.	parentis imperium placet.	

Phil.	Spectator adero. nosse virtutem decet Regem suorum.	
Dem.	magna me dudum tenet Victoriae spes; prompta nam vobis manus Atque animus audax. impetum nostrum haud feret Adversa pars.	785
Her.	Demetrio miles favet. Superamus.	
Pers.	arma, Perseo quisquis cupid, Animosque ferte: cohors triumphabit mea.	790
Phil.	Commilitones, agite generose: premit Demetrius. nostrum hostis invadit latus.	
Dem.	Irruite, caedite, milites; turbam loco Movete.	
Pers.	quo ruitis fugaces? sic decus Et gloriā hosti ceditis? vincet meus - O fata! - frater.	795
Her.	sterne trepidantes metu.	
Dem.	Impelle dubios, sequere pernici gradu.	
Her.	Fugam capessunt: vicimus.	
Dem.	cohibe manum Et parce ferro, miles. haud quemquam decet Necare civem.	
Her.	fundere cruorem, nefas.	800
Dem.	Victoria!	
Philot.	arma ponite ac fessum ictibus Curate corpus. robur ac virtus satis Spectata, nati, et militum est ardor mihi. Sic, sic, ubi hostis patriam invadet, viri Pugnate fortes. gloria ingens vos manet.	805
Dem.	Erunt paratae ad Regis obsequium manus.	

Scena septima

Demetrius, Herodorus, Lycotas, Melissus, Parmeno, Machaon, Thyrsis

Demetrius cum tribunis et aequalibus laetatur ac potat. explorator a Perseo submissus deprehenditur et a quibusdam inscio Principe multatur. invitantur omnes, ut ad fratrem comissatum eant. arma vestibus tegunt, qui proditorem pulsaverant.

Dem.	Huc, huc adeste, egregia quos virtus probat. Nunc arma seponenda, nunc Bacchus vocat. Diluere curas iam iuvet dulci mero.
------	---

Her.	Non semper hastam ferreus vibrat Deus. Interdum amori indulget et posito piger Recumbit arcu.	810
Lyc.	nube sublata micat Serenus ore Phaebus et tenebras fugat.	
Mel.	Fulgere regio honore quis sapiens velit, Si semper horror asperet frontem et minae?	815
Par.	Severitati comitas mixta et Duces Et Principes commendat.	
Mach.	haec, Ductor, tibi Est propria laus: severus in certamine Placidusque victor.	
Dem.	pugna iam fiat scyphis, Mittamus alia.	
Her.	poculum hoc libo Ducis Securitati.	820
Par.	vota prosequimur pari Omnes calore.	
Lyc.	duret aeternum sibi Patriaeque Princeps.	
Mach.	regna post fatum patris Felicititer possideat et teneat diu.	
Dem.	Adesse cur frater recusat, cur negat Rogatus?	825
Mach.	ira forte post pugnam tumet.	
Dem.	Post ludicrum certamen?	
Mel.	exagitat pudor; Victoriam sperabat.	
Dem.	at dubio gradu Mavors oberrat; quem extulit, rursus premit.	
Par.	Ardescat; ira superba devicti haud nocet, Victoris est timenda.	830
Mel.	cur pavidus suam Nec usus arte in praelium eduxit manum?	
Lyc.	Astuta vulpes.	
Mach.	in sinu leporem fovet.	
Her.	Ignavus ubi Dux, miles ignavus quoque.	
Dem.	Sed ista parcus tamen.	
Par.	vigeat decus Regnique gemma floreat Demetrius, Legitima proles; sperno furtivum genus.	835
Dem.	Abire paulisper libet; in orbem interim Cyathi rotentur.	
Mel.	at quis hic tacitus latet?	
Par.	Ex parte Persei.	
Mach.	onerate plagis.	

Thyr.	an reum	840
	Me quispiam probavit?	
Lyc.	impune huc pedem	
	Haud tuleris.	
Thyr.	insons verbera et plagas feram?	
Mel.	Concidite, explorator est.	
Lyc.	cedat domo:	
	A Perseo submissus est.	
Mach.	migret lues.	
Par.	Depellimus.	
Thyr.	iam parcite; an nondum satis?	845
Mach.	Extrudite hostem verbere ac flagris.	
Mel.	abi.	
Mach.	Sic proditores sunt notandi. tam frequens Non esset ars iniqua, si simili lucro Labor rependeretur.	
Mel.	at Reges fovent, Vt cuncta norint.	
Mach.	maximae cladi et probris	850
	Exponitur vita innocentum. sed redit	
	Demetrius; sileamus.	
Dem.	ad fratrem iubet Ire animus, ut, si fors quid e pugna levis Resideat irae, leniamus nos iocis Et hilaritate nostra.	
Her.	abimus, si lubet.	855
	Perseumque laeti visimus.	
Par.	mihi non lubet.	
Lyc.	Non est voluntas.	
Mel.	animus haud est.	
Mach.	nec mihi.	
Dem.	Mecum ite. quid dubitatis?	
Par.	haud nobis licet	
	Deserere Principem: imus.	
Lyc.	at caute tamen.	
Mel.	Abdamus arma vestibus: metuo malum.	860

Scena octava

Alexander, Perseus, Philocles, Demetrius, Melissus, Herodorus

Nuntiatur Perseo, fratrem armatum venire. ianuam igitur claudi iubet et Demetrium non admittit.

Alex.	Magnanime Princeps, commodes paulum, precor, Secretus aures.	
Pers.	liber arbitrio est locus.	
Alex.	Quamvis timore pectus intrepidum vacet, Cavete, moneo: frater armatis venit Stipatus, aedes et tuas petit.	
Pers.	o scelus!	865
Alex.	Sinu iuventus obditos enses gerit Et veste tectos. cautus insidias time.	
Pers.	Portae obserentur; militi ingressum nega Fratrique. nox et arma nil suadent boni.	
Philoc.	Indignor. an Demetrio fungi sumus Aut statuae inertes? fraude quos noctu opprimat? Sed ecce, gressum accelerat.	870
Dem.	haec Persei domus?	
Her.	Convivia hic iucundus agitat cum suis.	
Philoc.	Consiste, Princeps. Ductor occlusit fores.	
Mel.	Prohibemur aditu?	
Philoc.	sic salus Persei iubet.	875
Her.	Lectone potus abdidit molli caput?	
Philoc.	Domum subire prohibet armatos suam.	
Dem.	Nos frater aedibus arcet, ingressum negat?	
Philoc.	Suspecta nox et arma.	
Dem.	nos Perseus timet?	
Philoc.	Timere caedis impiae cogit nefas.	880
Her.	Quis caede puras impia faedat manus?	
Philoc.	Quod saepe solet accidere, cave, ne unquam accidat.	
Mel.	Abire praestat.	
Dem.	fratris excludor domo? Sic ira constat? pertinax durat furor?	
Philoc.	Non tardet, impedire qui poterit, scelus.	885
Her.	Laetari et indulgere genio, quod scelus?	
Mel.	Abitum paremus, non sumus grati hospites.	
Dem.	Quid contigisse censeam? frater tumet Immodicus ira; conferamus nos domum Laetisque comburamus hanc noctem iocis.	890

Chorus

Melissus, Machaon, Lycotas, Laetitia, Tranquillitas

Laetitia et Tranquillitas ad hilaritatem invitat Aulicos et cum iis Demetrii laudes canit.

Mel.	Enses olivae nectimus: Sic Tempus imperavit.	
Mach.	Dissolvimus sed faedera, Dum pace terra gaudet.	
Lyc.	Vbi pugna nos rursus vocat, Resumimus, iocosa.	895
Mel.	Valete tela: carmina Nunc dulcior voluptas.	
Mach.	Victoriam Demetrii Grato canamus ore.	900
Lyc.	Triumphet heros inclytus Semperque vincat hostes.	
Laet.	Vita sine me mortalium Mera est amaritudo. Hanc suavitate mollio Et condio lepore. Hac gesto chordas et chelyn, Hac Bacchicum liquorem.	905
Mel.	Potare Laetitia iubet?	
Mach.	Imperia non sequamur?	910
Lyc.	Non abnuo, non differo.	
Mel.	Decenter et modeste.	
Tran.	Quid blandius, quid suavius Tranquillitate cordis?	
Laet.	Tu iuncta semper es meo Lateri soror fidelis.	915
Tran.	Laetitia pectus occupet, Tranquillitas subbit. Nunc necte amicam dexteram Demetrii in favorem.	
Laet.	Virtutem adoro Principis, Demetrium fovebo.	920
Tran.	Sit laeta nox, sit candida; Iucunda semper aetas.	
Mel., Mach., Lyc.	Eximia virtus Principis: Demetrium canamus.	925

Actus quartus Scena prima

Philippus, Perseus

Accusatur Demetrius a Perseo apud patrem, tanquam ad caedem patrandam noctu venisset.

- Phil. Quid frontis horror tristis et vultus silens?
Effare, quis sollicitet afflictum dolor.
Pers. Tacere praestat, cum loqui prohibet pudor.
Phil. Latere magnum maeror hic prodit malum. 930
Pers. Vtinam lateret! eloqui cogit parens.
O maesta fata! fratri insidiis petor.
Phil. Heu, vita fallax! innocens, simplex puer
Sanctusque visus semper insidias parat?
Pers. Quod vivo, lucro deputa. armatis meas 935
Stipatus aedes noctis ambiguo petiit,
Vt me perimeret. foribus occlusis furor
Repressus, et quaesita praesidio salus
Parietum.
Phil. amicos credidi natos fore,
Exerior hostes.
Pers. dubia ne dictis fides 940
Sit forte nostris, cuncta deducam, parens,
Praebere si aures poteris.
Phil. utrumque audiam.
Res tanta sperni aut negligi haud debet.
Pers. placet
Regis voluntas. nemo inauditum premat.

Scena secunda

Demetrius, Terror, Morpheus, Vmbra Charicleae

Dormientem Demetrium circumstat Terror, et Morpheus maestis ludit imaginibus; mox matris umbra fugam suadet et cladem imminere praesagit. qui experrectus fulmine quoque ac tonitru terretur.

Dem.	Gravor sopore; dulcis est fesso quies.	945
Ter.	Armata dextra saevi: Demetrius pavebit. Venena laeva funde: Demetrius peribit. Diadema causa mortis:	
	Diadema fratris iram Accendit et furorem.	950
Mor.	Accede, Terror; arma Circumrota: cadaver Demetrium videbis.	
	Indulget - ah! - sopori Et nescit, arte Persei Se victimam silenti Domino Stygis futurum.	955
Ter.	Fatalis umbra, prodi E Tartari tenebris, Quo paene nulla Regum Sine caede venit umbra.	960
Mor.	Imple pavore natum, Timere discat aulam.	965
Vmb.	Fuge, fuge, nate. Ditis Iam mergeris barathro. Dudum parat venenum Et tela fratris ira. Fuge, fuge. mater atro	
	Monet redux ab Orco. Adhuc amore nati Post fata mater ardet. Fuge, fuge saevientem	970
	Et credulum Philippum.	
Dem.	Simulacra dira Morpheus tristis ciet: Telum minatur et venenum. nec satis: Adesse mater visa, quae suasit fugam. O summe coeli Rector! haec quodnam malum	
	Imago pingit? somnium illusit mihi.	975
	An vera retulit? somniis credo nihil.	

Timere nescit innocens. verum tonat.
 An Iupiter cavere me ac coelum iubet?
 Ambiguus haeret animus et metuit sibi.

Scena tertia

Lycotas, Craterus, Polycrates, Melissus, Oenosophus,
 Hoplomachus, Hydrochous, Dulomorus, Acharis

Dum Oenosophus cum tribunis vinum ementibus loquitur, milites ex compacto dolia evacuant ac cauponi prohibenti necem minantur. Dulomorus latebras quaerit, ut tutus sit ab uxore. militibus igitur sese associat, verum ibi quoque a venefica per tectum irruente invenitur; qua visa et Hydrochoum abripiente omnes diffugiunt.

Lyc.	Memori recondite mente, quae iussi: merum Sic pluribus diebus haud deerit.	985
Cra.	mones Dicto audientes. nempe cauponem alloqui Cum cooperis, nos clanculum audaces sumus Et visitamus amphoras.	
Lyc.	recte id quidem.	
Poly.	Potamus et dissolvimus nexus, quibus Bacchum tot annis caupo constrinxit, velut Si fur fuisset improbus, praedo latens.	990
Mel.	Huc, bone vir! audin'?	
Oen.	quis vocat?	
Mel.	ducis moras?	
Oen.	Adsum paratus: quid placet?	
Lyc.	Demetrius Me comparare iussit ad caenam merum, Vt militum animos arctius iungat sibi, Quos praelium monstravit hesternum viros.	995
Oen.	Principis honori me lubens totum dico Meamque cellam; strenue miles bibat, Vt assolet plerumque fieri. sed domum Intrare non permitto. nam nimium procax Et inquieta est turba.	1000
Mel.	ne metue: aedibus Cuncta efferemus.	
Oen.	at palato quod sapit, An Lesbium vel Creticum vinum?	
Mel.	mihi Chium placet, sed Cyprium arridet Duci.	1005

- Oen. Quam suaviter, quam dulciter guttur rigat
Praestantis uvae succus! en, gusta.
- Lyc. iuvat.
Decem amphoras sepone Demetrio.
- Oen. bene est.
Fiet. quid autem hoc? heu, perii! vinum ebibunt
Meum latrones. ubi puer? qui sunt? tacent
Potantque fortiter.
- Hopl. propino, ne mihi
Succenseas, magnanime vir.
- Oen. te Orci abstrahat
Satelles!
- Crat. evacuare non liceat scyphos?
- Oen. Sic clanculum?
- Pol. excitare crabrones parat,
Si plura verba. stringite enses.
- Oen. sic meo
Damno silere cogor. o sortem asperam!
Diram atque acerbam!
- Hyd. domine, quid mandas?
- Oen. viden'?
- Hyd. Cur milites admittis? epotant merum,
Vt matre natum est. vasa penetravit latex
Haec nullus unquam, reliqua sunt mixta omnia.
- Iacchus undis saepius fractus fuit,
Ne civium capiti noceret. nam probe
Addiscit artem, quisquis eximio huic viro
Operam locat.
- Oen. secreta ne prodas, puer.
- Dul. Oenosophe, miserum me his tegi latebris sine.
Vix impotentis faeminae evasi manus
Et timeo, ne me rursus inveniat, nisi
Pavidum tenebricosus abscondat locus.
- Oen. Ad milites secede; pugnabunt tuae
Causa salutis.
- Dul. dummodo hac cella morer.
- Oen. Militibus associare, qui cyathos rotant.
- Dul. Haec arma paucis displicant; nec ego lubens
Me subtraho, dum concitant bellum scyphi.
Iuvate, fortes milites: causam meam
Suscipite contra faeminam.
- Crat. nunquam viris
Licitum timere. furia sit, cedet procul.
- Poly. Certem mulieri? vix habet victoria
Laudem ista.

Ach.	quo recondis ignavum caput, Vesane coniunx?	
Dul.	milites, vestram fidem! Furia cavernis missa Tartareis adest.	1040
Hopl.	Adsit. metuere nescit Hoplomachus Stygem.	
Ach.	Quocunque perges, fida adhaerebo comes.	
Dul.	Facesse. ne oscula mihi, ne fige. anguibus Me terret et flagella vibrat. quid viri? Auxilia tandem!	
Crat.	pellere hanc cella decet.	1045
Poly.	Capiamus arma. Martium an mulier genus?	
Ach.	Abite. nulla pugna vobiscum est mihi; Repeto maritum.	
Dul.	heu, larva! Tisiphones soror!	
Oen.	Miles, venefica, plena monstrorum domus.	
Hyd.	Profana pestis, cede! Tartaream subi Infausta noctem.	1050
Ach.	verba me moveant tua?	
	Quin me sequeris ad Erebi tristem specum.	
Hyd.	Heu, rapior! ubi sum? Iupiter! coelum, iuva!	
Ach.	Clamare cessa. precibus haud flector.	
Hyd.	perii. Succurrite, ah!	
Oen.	quis possit?	
Dul.	abripitur miser.	1055
	Profugio, ne fortasse succedanea Fiam hostia.	
Oen.	est suspectus hic ludus mihi.	
Crat.	Bibimus satis. Megaera me terret quoque.	
Poly.	Cedamus omnes. hominis insani reor, Contendere umbris.	
Hopl.	nemini haec probro est fuga.	1060

Scena quarta

Philippus, Perseus, Demetrius

Philippus iudex inter duos filios suam calamitatem deplorat, utrumque audit nec tamen causam decidit.

Phil. Sedere iudex cogor infelix parens,
Aut crimen inventurus in nato meo,

	Calumniae seu forte facturus reum. Vtrumque durum. quo rapit fratres furor? An non monebam, vinculum firmissimum Amoris esse, nulla quod rumpat dies, Vis nulla frangat? verum ubi irarum faces Odiique flagrant, non procul cladem abfore? Vos aure surda dicta sprevistis mea: Amore regni frater in fratrem ruit.	1065
	Hereditatem cernitis vivo patre, Quid fiet extincto? agite, nunc aures patent; Referte, veri quidquid aut facti libet.	1070
Pers.	Reseranda ianua nocte nimirum fuit, Et hostis accipiendus, ac ferro impio Praebenda cervix, nemo cum credat scelus Nisi perpetratum. crimen admisi nocens; Audire quippe cogor eadem, quae reus.	1075
Dem.	Quod innocentia, frater, adfingis nefas! Ego machinatus in tuam vitam fui?	1080
Pers.	Accinctus armis nocte petiisti domum.	
Dem.	Quatuor an armati tuam expugnant domum Et te trucident? iste quam fallax metus Et timor inanis?	
Pers.	veste cur tectum fuit, Ni fraus subesset, ferrum? an insidias potes Negare structas?	1085
Dem.	numerus hic certet tibi Caedemque patret?	
Pers.	parva non raro manus Prostravit hostem.	
Dem.	causa quae caedis mihi?	
Pers.	Regni cupidus.	
Dem.	tanta sit regni sitis, Fratrem ut trucidem?	
Pers.	Roma te dudum imbuit, Constare pretio quolibet regnum bene.	1090
Dem.	Nunquam animus insonis per scelus regnum petit.	
Pers.	Est pallium innocentia et larva improba, Qua vitia tegere, qui ambient culmen, solent.	
Dem.	Nondum orbe virtus cessit ac scelerum pudor.	1095
Pers.	A te recessit, qui necem quaeris meam.	
Dem.	Calumniari perge, non reddes reum.	
	Erecta mens nil fraude, nil patrat dolo.	
Pers.	Credam innocentem, nocte dum insidias paras?	
Dem.	Patere amicam credidi fratris domum; Et clausa fratri est, crimini ut faceret locum.	1100

Ad suspicandum causa quem invitat levis
 Aut nulla, sceleris consciam mentem gerit.
 Phil. Ambigua causa, non satis crimen liquet;
 Nec vanus accusator auditus tamen. 1105
 Absolvere aut damnare neutrum nunc volo.
 In posterum argumenta perspecti dabunt
 Vtrinque mores. faxit o Divum parens,
 Nullius unquam sceleris inveniam reos.

Scena quinta

Philocles, Apelles

*Philocles et Apelles fraudem comminiscuntur ac falsas litteras fingunt,
 tanquam a T. Quintio venirent, ut Demetrium perdant.*

Philoc. Romam Philippus mittit et causam iubet
 Regni tueri. 1110
 Apell. arcana speculari magis.
 Philoc. Quid egerit cum Quintio Demetrius,
 Quid cum Senatu, fratriis in fraudem sui?
 Apell. Legatus omnia, rite si munus velit
 Obire, norit; cuncta perpendat probe. 1115
 Sermone et astu quosdam in obsequium trahat
 Animosque captet. sed via obliqua tamen
 Deflectat, instar vulpis annosae, gradum.
 Philoc. Nec parcat auro: clavis est, motu levi
 Arcana quae recludit atque animi eruit
 Sensus latentis. 1120
 Apell. cura nos eadem premit
 Secreta nosse.
 Philoc. plura, quam cupias, scies.
 Apell. Omnem movebo lapidem, ut officium probem
 Regi futuro.
 Philoc. si innocens Demetrius
 Et nullus unquam sermo de regno fuit? 1125
 Apell. Sit innocens; iam Perseo dedimus fidem.
 Philoc. Verum Philippus credit expertes doli.
 Apell. Credat. fovere Persei partes iuvat.
 Philoc. Rex contumaces puniet.
 Apell. Solis teget
 Favor Orientis.

Philoc.	quo modo fiet reus,	1130
	Nullius insimulare quem culpae potes?	
Apell.	Conficta reddent verba suspectum patri Falsaeque Quintii litterae allatae domum. Sic praevalebit Perseus, frater cadet.	
Philoc.	Quod fraudis huius proemium nobis erit?	1135
Apell.	Ad summa honorum culmina extollet novus Ductor ministros. imber in gremium fluet Praedives auro.	
Philoc.	cedo, te sector Ducem. Honoris allicit decus et auri nitor. Et cur resistam? regium est uti dolis.	1140

Scena sexta

Demetrius, Philippus, Didas

Philippus montem Aemum ascensurus Demetrium ab se ablegat et Didae Praetori Paeoniae commendat.

Dem.	Quid ira? quid molitur insanus furor? Heu, dira regnandi sitis! Perseus patri Deferre me audet sceleris infandi reum? Ne sim superstes, regiam ut vacuam occupet. Populi, Senatus criminis nobis favor.	1145
	Romana, quae prodesse debebat, nocet Auctoritas dirum in modum. tanta, timet, Subnixus ope diadema ne rapiam sibi, Frater cruentus atque persuasi obsidet Parentis aures. nulla Romani mihi	
	Sit cura posthac nominis, nulli loquar Scribamque nulli. forte flectetur parens Ac innocentem filium agnoscat suum. Sed en, senili fessus huc fertur gradu.	1150
Phil.	Mons in propinquuo, nate. condescendam iugum?	1155
Dem.	Quidquid patri placuerit, hoc gratum mihi.	
Phil.	Ambiguus haeret animus, haud sese expedit. Sin ire pergam ...; filios ambos tamen Discrimini haud committo, ne, si quid secus Acciderit, una clade prosternam meos.	1160
	Antigonus hoc praeceperat quondam suis, Dum nave, tempestate iactatus gravi,	

	Vix salvus evasisset et casu pari Acti fuissent liberi, ut nullus velit Cum gente tota rebus ambiguis levi Sese deinceps credere aurae. proin patrem Sonus sequetur Perseus; Demetrium Eximere statui lubricae sortis rotae, Regno speique meae remissurus domum.	1165
Dem.	Mandata laeto pectore excipio patris.	1170
Phil.	Comes abeunti sit Didas nato meo. Praesidia tutum valida praestabunt iter.	
Did.	Iubere Regis, peragere imperium est Didae.	

Scena septima

Mercurius, Flora, Heliotropium, Narcissus, Hyacinthus, Amaranthus

	<i>Mercurius coelo lapsus Iovis iussu Floram invisit et Demetrium brevi adventurum honore iubet; quae flosculos evocat, ut sertum nectant.</i>	
Merc.	Summus Deorum Iupiter natos tuos Prodire Principique venturo monet Deferre honorem.	1175
Flor.	nostra quis Princeps petit, Effare, regna?	
Merc.	veniet Aemathiae decus.	
Flor.	Demetriusne populi amor, patriae salus?	
Merc.	Sed flosculus brevis aevi: honora, dum licet.	
Flor.	Indignor! occidat iuventutis iubar?	1180
Merc.	Compesce gemitus; perage, quae mandat parens.	
Flor.	Properate, nati. tempore alieno voco, Sed imperata spernere haud tutum Iovis.	
Hel.	Quocunque pergit Phaebus, inflecto caput; Nunc iussa matris avocant.	
Narc.	nimio mei Amore flagrans pristinum amisi decus Formamque, nunc sum flosculus, gratus quidem, Sed vix amaenus.	1185
Hya.	me necat Phaebi manus Et floribus transcrit; haud fati piget. Purpurea quippe folia dum pando, decens Me nitor inumbrat; Regibus similes sumus.	1190

- Ama. Marcesco nunquam, nomen hinc traxi meum.
Sum flosculus perennis, haud timeo necem.
- Flor. Demetrio, quem Macedo quemque Italus fovet,
Nectite coronam, filii.
- Narc. studium lubens 1195
Impendo magno Principi; at multum ambigo,
An digna tanto capite reperiri queat.
- Hya. Exile saepe Regibus munus placet.
- Ama. Decebit immortale sertum innectere
Regis futuri vertici.
- Hel. Rex non erit:
Morietur ante, regna quam linquat parens. 1200
- Nar. Honore iuvenem prosequi hinc Superi iubent.
- Hya. O maesta fata! aetate Princeps tam brevi
Vtetur? et velut umbra decedet vaga?
- Ama. Quin serta, fratres, nectimus; violis caput
Et liliis ornamus. hoc mater petit. 1205
- Hel. Fruatur annis, dum licet. cymbam senis
Charontis ubi conscendet, Elysium nemus
Tacito recessu condet et pigri lacus.
- Nar. Rosae coronent tempora, ut vitae memor
Fugacis aevum extendat et famam sibi
Virtute quaerat. 1210
- Ama. praeter hanc firmum nihil.
- Hel. Verum ite: semper obsequium amicos parit.

Chorus

Innocentia, Napaea, Dryas, Virtus, Tyrannis, Terror, Conscientia

Innocentia in sylvas se abdit, cui Virtus diadema imponere conatur; quod ubi a se amolitur, Tyrannis Terrore stipata per vim rapit. quam Conscientia presso pede sequitur nec tamen persuadet, ut sceptrum reddat.

Inn.	Liqui tumultus urbium, In nemora me recepi.	1215
Nap.	Hic tuta pax, tranquillitas Hic incolit quieta.	
Dry.	Non sceptrum terret regia, Non Consulum secures.	
Inn.	Corona sed cur aurea Refulget inter umbras?	1220
Nap.	Recede. sortis ista fraus, Pericula haud vacabit.	
Dry.	Diadema curis et metu Angoribusque mixtum.	1225
Vir.	Hac verticem Innocentiae Virtus premit tiara.	
Inn.	Omitte; ne nos opprimas. Sunt maesta fata Regum.	
Vir.	Timebit Innocentia?	1230
Inn.	Strophas timebit aulae.	
Vir.	Fraus exulabit, innocens Vbi pectus ardet ostro.	
Inn.	Licet ipsa Virtus imperes, Versutiam haud movebis.	1235
Vir.	Si sceptrum spernis, regiam Tyrannis occupabit.	
Tyr.	Regnare me solam decet Ac imperare solam. Terrore cingor ac metu,	1240
	Nec languida est potestas.	
Terr.	Fidus minister imperii, Tyrannidis satelles, Concutio cuncta Panico, Haec nostra laus, pavore.	1245
Tyr.	Contempta sacrum verticem Mox ambiet corona.	
Inn.	Sic pondere Innocentia Sub tam gravi haud fatiscat.	

Tyr.	Cui ferre tam durum fuit Diadema, gestet ensem.	1250
Inn.	Quid gladius aut ferrum mihi?	
Tyr.	Perimet Tyrannis ense.	
Inn.	Innoxia an paenas luam?	
Tyr.	Aut hauries venenum.	1255
Consc.	Sed ferreo Tyrannidem Vltrix sequor flagello.	
Tyr.	Cur non vocata regiam Te sistis ante sedem?	
Consc.	Castigo saeva crimina Et terreo scelestos.	1260
Tyr.	Abi: vacare non queo Inanibus querelis.	
Consc.	Quamvis repellas millies, Semper redibo laesa.	1265
Inn.	Quam laeta, quam quieta mens, Quam nulla culpa mordet!	
Tyr.	Me torqueas semper licet, Non pono rapta sceptrta.	
Inn.	Perire malim.	
Tyr.	non moror. Dulcissima est potestas.	1270
Inn.	Amore dum illam temperas.	
Tyr.	Dum temperas timore.	
Inn.	Regnare nolo nec peto Timere vel timeri.	1275
Tyr.	Subesse nolo nec peto Timere, sed timeri.	

Actus quintus

Scena prima

Didas, Demetrius

Demetrius fallaci Didae arcana omnia detegit atque fugam ad Romanos meditatur.

- | | | |
|------|--|------|
| Did. | Generose Princeps, promptus obsequio Didas.
Quidquid iubebis, sine mora effectum dabit. | |
| Dem. | Servire primum semper agnovi Didam,
Periculosa cum domum duxit via. | 1280 |
| Did. | Officia defero. nexus hic animus tibi. | |
| Dem. | Cum nil rependam, prohibet obsequium pudor
Admittere. | |
| Did. | animat gratia et blandus favor. | |
| Dem. | Ah! Rege vanus noster irato est favor. | 1285 |
| Did. | Meliora, Princeps. nescit irasci parens
Nato fideli. | |
| Dem. | fronte dissimulat quidem
odiumque condit, sed tamen flamma emicat,
Maestusque saepe erumpit invito dolor. | |
| Did. | Quae causa pertinacis irae? quis furor
Accedit animum? | 1290 |
| Dem. | Perseus fraude ac dolo
Non concitare credulum cessat patrem,
Dum fila vitae Lachesis insonti secet.
Suspectus ac exosus ablegor domum,
Consilia ne prodam hostibus. bellum iuvat; | |
| | Romana nobis gratia invidiam ciet. | 1295 |
| Did. | O dura Regum sors! vicem indignor tuam,
Mixtus pudori pectus extimulat calor.
Fratremne frater? pone sed gemitus, precor,
Frontem serena. veniet - atque utinam brevi! -,
Qui te reponet debitum in regnum dies. | |
| Dem. | Non regna spero, timeo sed vitae meae. | |
| Did. | Parensne nato, quam dedit, vitam eripit? | |
| Dem. | A fratre suasus. | |
| Did. | Perseus tantum nefas? | |
| Dem. | Qui caedis accusavit. | |
| Did. | insontem reus? | 1305 |
| Dem. | Avidus crux. | |
| Did. | hostis est, nimium potens
Validusque Perseus. | |

Dem.	dum licet, celeri fuga	
	Quaeram salutem.	
Did.	Principi turpis fuga.	
Dem.	Est pulchra misero.	
Did.	quae regio tandem teget?	
	Eloquere, Princeps; aderit officio Didas.	1310
Dem.	Promittis ac iuras mihi?	
Did.	iuro Iovem.	
Dem.	Sit dextra fidei pignus.	
Did.	en, dextram cape.	
Dem.	Operamne spondes?	
Did.	spondeo.	
Dem.	Romam peto.	
Did.	Auxilia prompta. tutus elabi potes	
	Brevique spatio: iuris est regio mei.	
Dem.	Secreta ne cui pande.	
Did.	quid metuis? fides	1315
	Obstricta tibi, res salva: matura fugam.	

Scena secunda

Dulomorus, Charon, Acharis

Dulomorus, ut fugiat coniugem, Inferos adit et transvehitur a Charonte; mulier sequitur, quam etiam, licet multum refragante marito, Charon rati imponit, sed suo damno. Dulomorus necessitati cedit.

Dul.	Charon! Charon!	
Ch.	quis stentor has turbas ciet?	
Dul.	Miser maritus coniugem fugiens suam.	
Ch.	Cur non opacis arborum te abdis comis?	1320
	Quid antra Ditis horrida ac Erebum petis?	
Dul.	Securus haud fui uspiam a furia impia.	
	Plutonis hospes esse malo quam pati	
	Iurgia mulierum. Cerberi malo canis	
	Trifaucis, etsi latret horrendum in modum,	
	Dici satelles.	1325
Ch.	cymba tot vexit mea	
	Rixosa mulierum agmina, ut saepe ambigam,	
	An adhuc supersit inclytae stirpis iubar.	
Dul.	Plures supersunt, folia quam autumno cadunt.	
	Cymbam expedi, ulteriore me ripa loca.	1330
Ch.	Paulisper exspectare non poteris senem?	

- Dul. Vestigia ferox nostra ne coniunx premat
Iterumque me secum abstrahat, timeo, Charon.
Ch. Tum transvehetur ipsa nobiscum simul.
Dul. Ah! parce misero. reice a cymba procul.
Possessio quieta Ditis non erit. 1335
Turbabit umbras, regiam invadet, Stygem
Siccabit et Phlegethonis extinguet vada;
Tibique barbam vellet et crines sacros
Resecabit audax, huc ubi gressum feret.
Ch. Quid vana fingis? neminem dominus timet
Potentis orci, neminem metuit Charon.
Dul. Metues mulierem. sed veni, cymbam admove.
Ch. Quaenam illa, quae molitur ad littus gradum?
Dul. Propera, Charon: est uxor. heu, perii!
Ch. ratem 1340
Conscende.
Dul. iam securus evadam minas
Et flagra saevae coniugis. propera, Charon.
Ch. At solve nauolum.
Dul. non vacat. Demetrius
Regalis umbra solvet.
Ch. exspectem diu?
Dul. Brevi huc feretur.
Ch. uxor an nummos habet? 1350
Dul. Ne quaere. nunquam faeminis nummus deest:
Spoliant maritos.
Ach. huc, Charon! cymbam huc, Charon!
Dul. Vxor ista vox. Charon, quaeso, Charon,
Depelle.
Ch. secum mulier aurum si ferat,
Admitto. navi exscende.
Dul. ne, quaeso, Charon, 1355
Admitte.
Ch. propero. nam senes inhiant lucro.
Ach. Charon! Charon!
Ch. iam venio.
Dul. quo fugiam miser?
Arcere si caligo non potuit Stygis
Furiam nefandam, quem locum posthac petam?
Ach. Exsolvo nauolum. impelle remos, ne diu
Morare. 1360
Ch. quid? me coniugem credis tuum,
Cui imperes, proterva?
Ach. quamvis sis Charon,
Parere te decebit.

Ch.	impingam tibi	
	Remum, profana.	
Ach.	quid? tuum intorquens caput	
	Acheronte mergo.	
Ch.	parce, iam paenae satis.	1365
Ach.	Impelle remos.	
Ch.	cymba iam ripam subit.	
	Exscende.	
Ach.	quo profugit impius?	
Ch.	heu, nefas!	
	Vicit Charontem faemina. infelix lucrum,	
	Quod sic honorem minuit et famam meam!	
	Posthac mulierem transveham nullam rate,	1370
	Mille licet annos lacrymis littus riget.	
Dul.	Recede. non me mortuum, coniunx, vides	
	Et inter umbras degere?	
Ach.	es semper meus,	
	Quocunque fugias.	
Dul.	solvit omnia mors. vetus	
	Lex ista. nuptiale non durat quoque	1375
	Post fata faedus.	
Ach.	vinculum haud solvit sacri	
	Lex ulla amoris.	
Dul.	non amo: obdormiscere	
	Permitte mortuum.	
Ach.	excitabo, sic placet.	
Dul.	Haec sunt caloris signa.	
Ach.	sunt dulces notae	
	Ardentis animi.	
Dul.	sentio, et mecum quoque	1380
	Innumera turba.	
Ach.	mortui sensu carent.	
Dul.	Flagra Furiarum sentiunt. cede hinc, precor,	
	Et mortuum dimitte.	
Ach.	fieri non potest.	
	Quis solvit unquam coniugii nexum pii?	
Dul.	Nec unda tutum Stygia, nec redit Charon:	1385
	Onus ferendum. exagitat infensus Deus.	

Scena tertia

Philippus, Perseus, Antigonus

Dum Philippus Perseo calumnianti aures praebet, litterae adferuntur Didae, quibus consilium fugae detegitur; et Rex contra Demetrium maiori odio inflammatur eumque custodiri iubet.

- | | | |
|-------|--|------|
| Phil. | Iam iacta Martis alea est; bello sumus
Pares gerendo. imperia Romani pati
Nolo Senatus. regna quis nutu hostium
Demens gubernet? vidimus ab Aemi iugis
In Italiam iter. fata qua monstrant viam,
Armatus ibo. | 1390 |
| Pers. | caepita fortunet polus. | |
| Phil. | Iustae favebit arbiter causae Deus. | |
| Pers. | Vrbes ademptas subdet imperio tuo. | |
| Phil. | Et pristinum reddetur Aemathiae decus. | 1395 |
| Pers. | Consilia nostra nesciat frater meus. | |
| Phil. | Dimissus hinc est, ne quid observet, domum. | |
| Pers. | Prae patria Ausoniam aestimat, adorat, colit. | |
| Ant. | Has, magne Princeps, litteras misit Didas. | |
| Phil. | Resolve vincla; quid novi scribat, lege. | 1400 |
| Pers. | 'Detecta sunt consilia Demetrii. fugam
Meditatur ac tutus mea elabi putat
Regione Romam posse. uterque ipsi pater
Et frater est suspectus ac mortem timet.
Quid nunc agamus, ocyus, Princeps, mone.' | |
| Phil. | O contumacem filium! Romam fuga
Contendit? hostibus salutem, non patri
Credit rebellis? | 1405 |
| Pers. | semper alieno fuit
Animo in parentem, Italia dum captum tenet.
Licet remissum corpus, haud animus tamen. | 1410 |
| Phil. | Quis consulti sic perfido et partes fovet? | |
| Pers. | Est Herodus particeps rerum omnium. | |
| Phil. | Capiatur Herodus, et Demetrius
Custodiatur cautius, procul at metu
Omni remoto; nesciat claudi plagis. | 1415 |
| Pers. | Mandata Regis sine mora peraget Didas. | |

Scena quarta

Innocentia, Fortuna, Mars, Mors

Innocentia dum se Fortunae submittit ac illius opem implorat, Marti ac Morti proditur.

- | | | |
|------|---|------|
| Inn. | Nullius mens conscientia culpae
Optima miserae portio vitae. | |
| For. | Fortuna regit genus humanum,
Me sine labor est omnis inanis. | 1420 |
| Inn. | Faedere iuncto pareat orbis. | |
| For. | Imperium Sors sola tuetur. | |
| Inn. | Insontis sed suscipe curam. | |
| For. | Mea contemnis regna, proterva. | |
| Inn. | Me tibi subdo, veneror Divam. | 1425 |
| For. | Non ego precibus sueta moveri,
Cuncta tumultu et turbine verso. | |
| Inn. | Conuge velo, precor, insontem. | |
| For. | Nemo tutus latet hoc velo. | |
| Mars | Quodnam monstrum, Fortuna, tegis? | 1430 |
| Mors | Exsere vultus. | |
| Inn. | O Dea, vitam, non regna peto.
Horreo Martem, fugio Mortem. | |
| For. | Raro insonis est sortis amicus.
Non te tueor: procul absiste. | 1435 |
| Mars | Mars imbellem perimet ferro. | |
| Inn. | Horreo Martem. | |
| Mors | Parcit Mavors: mea erit praeda. | |
| Inn. | Fugio Mortem. | |
| Mors | Fugias quamvis, stamina vitae
Rumpere novi. | 1440 |
| Inn. | Quis locus - heu! -, quae regio Martis
Eximet armis rigidaeque neci? | |
| For. | Mitte querelas, gemitus pone:
Nemo Morti, nemo Marti | 1445 |
| | Restitit unquam et victor abivit. | |
| Inn. | Spes vana vale: cedere cogor. | |
| For. | Spes nulla iuvat: cedere oportet. | |

Scena quinta

Philippus, Antigonus, Pyrrhus, Philocles, Apelles

Antigonus Philippum hortatur, ne temere nimis credat. Philocles ac Apelles falsas litteras deferunt, quibus Demetrius in suspicionem, imo crimen venit et reus a Rege declaratur.

Phil.	Heu maesta fata! quanta curarum seges Succrescit! ut cruentus exagitat labor Regale pectus! hostis hinc, miserae domus Inde mala turbant. perfidus Romam fuga Demetrius contendit, ut prodat patrem?	1450
Ant.	Ambigua sceleris indicia, nondum satis Crimen revictum.	
Phil.	arcana nudavit Didae.	1455
Ant.	Incauta saepe vox in errorem trahit, Vt esse credas, quod fuit nunquam, nefas. Suspicio quoties pressit insontis caput Atque umbra inanis?	
Phil.	ista sed tutos facit	
Ant.	Nos umbra Reges.	
Phil.	sequitur hanc presso pede	1460
Ant.	Plerumque paenitentia, at sero nimis.	
Phil.	Timere Regem cuncta prudentem decet.	
Ant.	Sed omnibus praestare non debet fidem. Namque innocentia crimen affingit nocens;	
	Sanctum scelestus, impius defert pium.	1465
Phil.	Nulli negare Rex fidem iustus potest.	
Ant.	Calumniatores alit, causa levi Qui credit omnibus.	
Phil.	abditos sensus gerit	
	Humanus animus, nullus est frustra metus.	
Ant.	Natum timebis, sancta quem morum probat Decensque gravitas?	1470
Phil.	unus haud vitae tenor;	
	Mutamus annis: abripi in praecipit solet Audax iuventus, sceleris ubi fructum videt.	
Pyr.	Philocles, Apelles Regis alloquium petunt Roma reversi.	
Phil.	admitte; iam redditum diu	1475
	Exspecto. cuncta nosse vix posthac labor.	
Philoc.	Populus, Senatus esse te salvum iubet.	
Phil.	Quae cura nati?	
Philoc.	ambigua, perplexa omnia.	

Phil.	Reusne culpae?	
Philoc.	dicere haud possum reum Nec innocentem.	
Apell.	crimen abscondi haud potest, Nemo fatetur; sed satis deprendimus Ambiisse regnum. litterae menti eximent Dubium omne Quintii.	1480
Phil.	nosco signum. iam lege.	
Apell.	'Quintius Philippo. blanda si Demetrium Regni cupido adduxit inniti meo Consilio, in animum nil grave adversus suos Admisit, ut confido, nec quicquam innocens Admittet unquam. nec ego consilii levis Aut impii futurus auctor sim. vale.'	1485
Phil.	Reus tenetur; non satis crimen liquet?	1490
Philoc.	Non possumus negare.	
Ant.	prudenter tamen Expende cuncta, ne dolo fiat nocens.	
Phil.	Quis subsit unquam litteris Quintii dolus?	
Ant.	Fraus saepe magna litteris fictis subest.	
Phil.	Agnosco signum.	
Ant.	fallere et signum solet.	1495
Phil.	Probat nocentem.	
Ant.	causa libretur prius.	
Phil.	Indicia dum manifesta?	
Ant.	inauditum parens Ne crede natum criminis tanti reum.	
Phil.	Aures nocenti praebeam?	
Ant.	nondum est nocens.	
Phil.	Reum fatetur Roma: iam culpae satis.	1500

Scena sexta

Demetrius, Lycotas, Narcissus, Hyacinthus, Amaranthus, Heliotropium

Demetrius Deos deprecaturus in templum fugit, cui Lycotas abitum suadet. flosculi coronam offerunt, quam sibi malum portendere existimat.

Dem.	Quo fratri impulsurus est tandem furor Aegrum parentem? supplici voto Deos Veneror precorque, ne gravi miserum premant Regnum ruina. Iupiter, nostras preces
------	---

	Propitius audi. fulmina in caput hoc meum Torque, priusquam patriae nutet salus. Averte bella. non sumus Romae pares.	1505
Lyc.	Magnanime Princeps, patriae afflictæ decus, Ne sperne fidi consilium amici, fuge.	
Dem.	Iovis subivi templa. quo fugiam miser?	1510
Lyc.	Contende Romam. tutior non est locus.	
Dem.	Cedamne regno?	
Lyc.	fratris expellit tumor Calumniaeque credulus nimium parens.	
Dem.	Abire praestat. fata quo ducunt, sequar.	
Nar.	Teneri coronam flosculi offerimus tibi, Flos Principum; sic Flora devinctum suum Testatur animum.	1515
Hya.	nostra munera si placent, Sumus beati.	
Ama.	nectere o sertum tua Virtute dignum liceat!	
Helio.	ut Solem sequor, Sic Principem me colere maiestas iubet Amaena frontis; Phaebus haud vincat tuos Oculos serenus.	1520
Nar.	plura cur cupiam loqui, Vbi sufficit verbum unicum? addicti sumus.	
Dem.	Sunt grata dona matris et florum iubar. Verum quid istud innuit sertum mihi? Fortasse tumbam. cura provideat Deum.	1525

Scena septima

Philippus, Antigonus, Didas

Philippus amoris paterni iraeque fluctibus agitatur; et quamvis Antigonus Demetrium multis rationibus tueatur, mors tamen innocentis filii decernitur, et Didas scelus exequi iubetur.

Phil.	Dum pulsa dubio fluctuat vento ratis, Qua parte vela pandat, ambiguo in loco est; Sic noster haeret animus ancipiti metu Et, quo feratur, nescit in tanto malo. Sum Rex paterque. si pius fuero parens, Discrimini permitto regnum; si velim	1530
-------	---	------

	Rex iustus esse, cohibet iratam manum Amor paternus. quam sequar partem miser?	
Ant.	Parens benevolus, esse Rex iustus potes.	1535
Phil.	Punire morte Regis est iusti scelus Patrisque veniam lubrico errori dare.	
Ant.	Veniam meretur error admissus semel.	
Did.	Qui iura maiestatis offendit, bonum Qui publicum perturbat, est dignus nece.	1540
Ant.	Sunt salva iura, salvus est regni status.	
Did.	Convellet hostis, capite ni plectas reum.	
Phil.	Ergo trucidem filium?	
Ant.	afflito, pater, Ignosce gnato.	
Phil.	sic iubet regni salus.	
Ant.	Fors innocens peribit.	
Phil.	extinguam meum -	1545
	O fata! - lumen et iuventutis decus?	
Did.	Sed culpa faedat, crimen infamem notat.	
Phil.	Cadat rebellis: reddidit dudum meo Amore se indignum. quid infelix gemo Lacrymasque fundo?	
Ant.	paternus affectus reddit.	1550
	Ah parce, genitor!	
Phil.	laesa maiestas vetat. Quid adhuc resistis, anime? quid ducis moram? Pereat rebellis.	
Ant.	sera ne mentem, cave, Rex, paenitentia subeat, differ necem.	
Phil.	Maerore quamvis pectus immenso tremat Nec lateat, animum quantus exagitet dolor In morte nati, patris affectum tamen Maiore cura penso, praevaleat bonum Commune regni.	1555
Did.	providum hoc Regem decet.	
Ant.	Iratus - o Dii! - filium occides parens?	1560
Phil.	Securitas regni expulit amorem patris. Dida, veneno tolle; ne Romae mea Suspecta sint consilia, clam tolle impium.	
Ant.	Heu, maesta iussa! vix erit tutum exsequi.	
Did.	Mandata Regis semper est tutum sequi.	1565

Scena octava

Perseus, Philocles, Apelles, Philotas

Perseus laetatur cum amicis de aemulo brevi submovendo.

- Pers. Iam vela turgent, spirat a puppi notus.
Provehimur alto, cymba iam portum subit.
Romae satelles frater haud vivet diu.
Didas rebellem perimet et magno metu
Regnum patremque liberabit. sic mihi
Diadema certum! sceptra iam teneo manu. 1570
- Philoc. Te fratre solum purpura extincto manet.
Apell. Quam bene, quod aemulum ira submovit patris!
Philot. Iam cuncta Perseo laeta et ex voto fluent.
Pers. Me vestro in aere semper, eximii viri, 1575
Fatebor esse. strenue partes meas
Fovistis omnes.
- Philoc. placeat obsequium tibi,
Haud plura petimus.
- Pers. gratus impensus labor,
Sollicita cura pectus obstrictum tenet.
- Apell. Servire tanto Principi non est labor. 1580
Philot. Huc nos voluntas dicit ac ardor trahit.
Pers. Ego quid rependam?
- Philoc. amoris est merces amor.
- Pers. O fida corda, pectus, en, dono meum,
Omnia daturus, regna cum tradet parens.
- Apell. Exigua temporis mora. senectus gravis 1585
Crebrique morbi pene iam tumulo admovent.
- Pers. Vita fruatur, quam diu coelum volet;
Mihi nemo rapiet sceptra, si frater cadat.
- Philot. Moriatur. an detrectat imperium Didas?
Perimet Philotas.
- Pers. notus est animus Didae: 1590
Non differet mandata. vel tristem hac manu
Caedem patrabo, auferre si regnum velit.
Miscebo summis ima, ne sceptro excidam.
- Apell. Spondemus operam: Perseus solus patrem
Impellat haeres, hostium aut mactet furor. 1595

Scena nona

Thyrsis, Demetrius, Alexander, Philaemon, Didas

Demetrius, in caena veneno hausto, conqueritur de crudelitate patris ac fratris parvicio mox innectis tapetibus in caput faucesque a duobus sicariis spiritu intercluso extinguitur; quem fidus semper Philaemon deflet, et cadaver a Dida amoveri iubetur.

Thyr.	Haustum venenum: non diu Demetrius Erit superstes. horridam mortem bibit Incautus auro. Perseo fidus Didas Iussu parentis miscuit, Thyrsis dedit Lethale iuveni poculum. virus brevi Sese per ossa fundet, exitium inferet. Fortasse iam est extinctus.	1600
Dem.	indomitum malum Serpit per artus, undique dolores premunt. Sumpsi venenum, sentio: cunctis lues Venis oberrat. fata sic cogunt mori? Distringor, ah! iuvate, Superi, si pio Veneratus aras thure. non audit preces Gemitusque coelum? fratris heu dirum nefas! Saevum parentem! crimen infandum Didae!	1605
	Contorqueor, discrucior. o fallax bonum Diadema! regno per scelus parto haud diu Perseus fruetur. vita sed linquit, cado.	1610
Thyr.	Propera, tapetes coniice in fauces, caput Involve.	
Dem.	Roma, vindica.	
Alex.	accelera necem,	
	Exclude spiritum.	
Dem.	morior, heu!	
Thyr.	iam occidit.	1615
Alex.	Calor relinquit ossa. nunc mortem Didae Denuntiemus: aemulus regni periit.	
Philae.	Prostratus - heu! - tapetibus Princeps caput Iacet involutus. vivit? an Clotho manu Rupit severa stamina? o coelum! haud calor. Haud vita superest. hospitales sic Deos Violare fraude perfidus suevit Didas? O fata! iuvenis innocens moritur dolo, Frater scelestus vivit et sceptro imminet?	1620
	Fugio penates, impia cedo domo.	1625
	Puni cruentum, Iupiter, puni nefas!	

Did. Cadaver amovete; nec quisquam sciat
Iussu parentis Principem occisum sui.

Scena decima

Philipus, Antigonus, Lycotas

Philipus Antigoni ac Lycotae monitu innocentem fuisse Demetrium deprehendit; deplorat suam sortem et crimen fatetur ac sibi ipsi violentas manus inferre parat. verum ab illis cohibitus non diu se superstitem futurum praedicit.

Phil.	Aerumna mentem et dirus exagitat dolor.	
Ant.	Frontem serena, tetrica pectus leva,	1630
	Rex magne, nube: prospero regnum in statu est.	
Phil.	Imago tristis, flebili vultu minax	
	Oculis oberrat et meum infestat caput.	
Ant.	Simulacra vana saepe mens fingit sibi,	
	Dum mole nimium pressa curarum gemit.	1635
Phil.	Sed umbra nostrum pallida in vultum ruit,	
	Minatur umbra.	
Ant.	filii occisi patrem	
	Imago adurget.	
Lyc.	fraudibus periit Didae.	
	Extinctus - heu! - Demetrius.	
Phil.	periit nocens.	
Ant.	Nullius unquam criminis fuerat reus.	1640
Phil.	Nullius unquam?	
Ant.	veritas tandem patet.	
Lyc.	Est innocens peremptus.	
Ant.	et fratris dolo.	
	Falsas Apelles litteras Roma tulit.	
	Xychus minister fraudis est fassus scelus;	
	Atque Herodorus Principem tortus negat	1645
	Reum fuisse.	
Phil.	filium heu miserum! patris	
	Iussu necatum! maeror hinc animum subit,	
	Et terret umbra. parce, iam reddo vicem.	
	Ferro trementem spiritum expellam senex.	
	Cur vivo, nato si parens vitam abstuli?	1650
Ant.	Meliora tentent pectus. an lethum iuvat?	
Phil.	Sequar recisum flosculum, sequar, ah, meum!	
Lyc.	Corripe scelestos, vindica iniustam necem!	
Phil.	Ego sum scelestus, ego peremi - pro nefas!	

Ant.	Sed arte captus.	
Phil.	o decus nostrae domus!	1655
	O dulce pignus, patriae afflictæ iubar!	
	Potuitne genitor filium morti dare?	
	Potuit cruentus. umbra cur frontem impetis	
	Infesta nostram? pectus, heu, crudum erue,	
	Macta tyrannum.	
Ant.	quo rapit mentem dolor?	1660
	Revocare lacrymis non licet vitam tui	
	Questuque nati.	
Phil.	credulum tandem subit,	
	Sed vana, paenitentia. infelix pater	
	Quo me recondam? quae scelus latebrae tegent?	
Lyc.	Non est nocens, aliena quem culpa et dolus	1665
	Fecit nocentem.	
Phil.	creddidi. est culpae satis.	
	Reges potentes, discite exemplo meo,	
	Calumniae praebere nunquam aures, fidem	
	Habere nulli parte inaudita altera.	
	Ambitio saepe fallit et iustos premit.	1670
	Tristis senectus! Persei dirum nefas!	
	Ignosce, nate; venio: non terras diu	
	Nocens gravabo. fletibus mergi iuvat,	
	Donec sepulchro condar. o coelum, meo	
	Me redde iubari! Parca, iam filum seca.	1675
	Peream cruentus. sola mors misero est salus.	

<Finis>

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt der Erstdruck von 1683. Das Mannheimer Exemplar ist über das MATEO-Projekt der dortigen Universität im Internet einsehbar (www.uni-mannheim.de/mateo/camena/retten1/te03.html).

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktions wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* sowie *-ae-* statt *-oe-* (v1596 *caena*, v703 *faedus*, 458/1449 *maesta*, 37/465/505/553/v556/562/575/1365 *paena*, 1554/1663 *paenitentia*, A13/1141 *Paeoniae*, 150/319/336/1184 *Phaebus*, v1596 *Philaemon*), *causa* statt *caussa* (A11, 73, 148, 158, 244, 286, 466, 950, 1030, 1034, v1061, 1088, 1102, 1104, 1110, 1290, 1393, 1467, 1496) und *audin' / viden'* statt *audin/viden* (993, 1017). Groß geschrieben wurde: *Amor* (19, 30, 34, 35), *Dii* (217, 394), *Dux/Ductor* (341, 527, v779, 780, 1138), *Fraus* (14, 41, 762), *Princeps* (59, 817, 1516), *Rex* (A8, v1, 2, 79, v293, 344, 498, 727, 749, 849, 962, 1173, 1191, 1198, 1297, 1460, 1462, 1474), *Senatus* (v54, 1113), *Sty-* (1337, 1358, 1385) sowie 13 *Virtus*, 47 *Error*, 479 *Pates*, v891 *Aulicos*, 979 *Rector*, v1214 *Virtus*, 1338 *Phlegethonitis*, v1417 *Fortunae*, 1433/1439 *Mortem*, 1519 *Solem* und im Darstellerverzeichnis *Miles*; klein dagegen: *parens* (584, 931, 941, 1409, 1497), *pater* (A3, v54, 74, 223, 241, 342, 476, 776, 1170), *regia* (700, 1144, 1236) sowie v1 *aula*, A14 *iuvanem*, 436 *tyrannus*, 536 *decus*, v589 *regius*, v589 *iuvenis*, 610 *soror*, v617 *nympha*, 658 *reliqui*, 710 *sororem*, v772 *sacrificio*, 833 *vulpes*, 898 *dulcior*, 905 *suavitate*, 1013 *scyphos*, 1059 *hominis*, 1515 *flosculi*.

Darsteller und Inhaltsangabe wurden vor den Szenen in umgekehrter Reihenfolge abgedruckt; bei der Darstellernennung wurde dem Auftritt nach geordnet 2,6 statt *PhilocMeDPhilotCMa*, 3,7 *DHPLMeMaT*, 3,8 *APDHMPH*, 4,3 *LCPHoMOHyDA*, 4,7 *MFNHyAHe*. Prol. wurde *Amor* ergänzt.

15	<i>unquam</i> statt <i>nnquam</i>
124	<i>arbitrio</i> statt <i>atbitrio</i>
v213	<i>consilium</i> statt <i>c nsilium</i>
v213	<i>bellum</i> statt <i>b llum</i>
226	<i>contempsit</i> statt <i>comtempsit</i>
232	<i>nomen</i> statt <i>nomeu</i>
v247	<i>ferit</i> statt <i>f rit</i>
361	<i>metuit</i> statt <i>metnit</i>
471	<i>meum</i> statt <i>meus</i>
993	<i>Mel.</i> statt <i>Met.</i>
1038	<i>caput</i> statt <i>capur</i>
1212	<i>virtute</i> statt <i>vittute</i>
1385	<i>redit</i> statt <i>reddit</i>
1393	<i>favebit</i> statt <i>favebrt</i>
1512	<i>tumor</i> statt <i>umor</i> mit unleserlichem Anfang
v1527	<i>filii</i> statt <i>fily</i>

'Komma' gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *quam* u.ä.: A2, A4, A16, A17, A20, v1, 3, 35, 72, 82, 90, 106, 116, v124, 126, 128, 139, 142, 147, 162, 165, 169, 171, v175, 177, 183, 204, 210, 220, 221, 223, 245, v247, v247, 249, 283, 285, v293, 295, 312, 314, 323, v336, v336, 343, 349, 353, 356, v364, 364, 371, 380, 386, v420, 425, 431, 432, 444, v459, 467, 476, v493, v493, 509, 522, 533, 544, 546, v556, v556, 556, 566, 568, 578, v589, 592, 604, 605, 610, 611, 618, 627, 649, 654, 657, 662, 666, 669, 678, v703, 704, 704, 710, 732, 734, 740, v741, 742, 769, v772, 786, 798, 801, v807, v807, 811, 813, 818, 824, 835, 842, v861, 868, 870, 886, 889, v891, 901, 905, 927, 933, v945, 956, 968, 984, v985, 988, 990, 998, 1004, 1010, 1017, 1044, v1061, 1082, 1083, 1086, 1095, 1102, 1106, v1110, 1110, 1116, 1120, 1124, 1132, 1139, v1141, 1149, 1151, 1163, 1169, v1174, 1175, 1188, 1194, 1196, 1209, 1211, v1214, 1238, 1252, 1260, 1275, v1278, 1291, 1300, 1311, 1314, v1318, 1321, 1323, 1332, 1339, 1369, 1372, v1387, 1402, 1404, 1411, v1417, 1443, 1446, v1449, 1479, 1503, 1512, 1524, 1529, 1536, 1546, 1549, 1555, 1569, 1574, 1581, v1596, 1624, v1629, v1629, 1629, 1633, 1670

'Komma' gestrichen nach: 330 *vobis*, v364 *ratus*, 424 *dolor*, 475 *Romani*, 531 *modo*, 632 *procis*, 673 *ossa*, 885 *impedire*, 1287 *quidem*, 1481 *deprendimus*, 1485 *adduxit*, 1560 *iratus*, v1596 *parricidio*, v1629 *monitu*

'Komma' ergänzt: A1 *Demetrius*, 12, 32, 32, 40, 55, 85, 85, 112 *audite*, 127 *Ducum*, 147, 219 *face*, 275, 275, 277, 279, 290, 311, 324, 350, 369, 377, 395, 398, 401, 403, 412 *etiam*, 420, 420, 436, 440 *meliora*, 443, 443, 449, 450, 456, 506, 521, 527, 538 *adduc*, 551 *ignosce*, 553,

- 564, 587, 665, 666, 667, 680, 688 *heu*, 688 *coelum*, 692, 693, 701, 778 *favete*, 781, 791, 793
caedite, 799, 803 *spectata*, 804 *sic*, 853 *ut*, 864, 872, 874, 885 *tardet*, 933 *heu*, 960, 966 *fuge*,
993, 1007, 1009, 1012, 1024, 1034, 1048, 1050, 1053, 1053, 1055, 1066 *dies*, 1142, 1154,
1179, 1182 *properate*, 1195, 1300, 1312, 1345, 1345, 1347, 1352, 1352, 1364, 1367, 1407,
1432 *vitam*, 1442, 1504, 1530 *et*, 1551, 1552, 1562, 1564, 1583 *pectus*, 1583 *en*, v1596 *De-*
metrius, 1606 *stringor*, 1606 *iuvate*, 1614 *Roma*, 1615, 1652 *seuar*, 1652 *ah*, 1659 *pectus*,
1659 *heu*, 1662, 1663, 1667 *potentes*, 1672, 1674, 1675
'Komma' statt 'Punkt': 167 *patrem*, 318, 334, 412 *est*, 480, 623, 721, 1025, 1159 *committo*,
1368, 1391, 1399 *Princeps*, 1575 *viri*, 1630 *leva*
'Komma' statt 'Doppelpunkt': 17, 42, 44, 140 *modo*, 151, 191, 199, 207, 220, 229, 284, 312,
379, 697, 797, 921, 961, 964, 1020, 1056, 1138, 1151, 1216, 1264, 1280, 1306, 1330, 1360,
1365, 1370, 1378, 1419, 1426, 1454, 1469, 1492, 1542, 1566, 1567, 1603, 1612, 1636
'Komma' statt 'Strichpunkt': A6 *scelere*, 737 *cape*, 917, 1076, 1104, 1164, 1182 *voco*, 1302,
1425
'Komma' statt 'Ausrufezeichen': 639
'Punkt' gestrichen: 251 *maximum*, 329 *mihi*, 449 *tam*, 671 *explicat*, 1627 *sciat*
'Punkt' ergänzt: A16, 73, 74 *patri*, 148 *propere*, 166, 217, 241, 243, 270, 270, 359, 395, 423 ...,
424, 464, 477 *prodit*, 481 *imponat*, 483, 614 ..., 759, 783, 844 *lues*, 874 *Princeps*, 912, 940,
949, 969, 989 *quidem*, 1047, 1048, 1158 ..., 1649, 1662
'Punkt' statt 'Doppelpunkt': v124 *conqueritur*, 174 *est*, 294, 305, 315, 385 *cedo*, 388, 415, 693
nolo, 787, 1182, 1343 *mulierem*, 1347, 1651
'Punkt' statt 'Strichpunkt': v293, v861
'Punkt' statt 'Komma': 9, 76, 278 *cedo*, 300, v420 *perimant*, 539 *vicimus*, 705, 717, 724, 839,
929, 1191
'Strichpunkt' gestrichen: 631 *fore*
'Strichpunkt' ergänzt: 391, 675
'Strichpunkt' statt 'Punkt': 195, v336, 523, 1100, 1644
'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': A5, 36, 104, 149, 179, 201, v293, 298, 300, 310, 330, 337,
v364, 385, 409, 418, v420, 438, 459, 475, 508, 510, 557, 577, 586, 591, 729, v741, 779, 786,
793, 838, 845, 868, 923, v945, 945, 999, 1032, 1047, 1077, 1104, 1115, 1126, v1174, 1184,
1189, 1191, 1196, v1214, 1228, 1295, 1475, 1481, 1490, 1516, v1527, 1532, 1562, v1596,
1627, v1629, 1672
'Strichpunkt' statt 'Komma': A18, 225, 398, 410, 412, 420, 443, 473, 489, v493, v617, 649,
726, 756, 830, 953, v985, 1072, 1181, v1387, 1400, 1521, 1587
'Doppelpunkt' gestrichen: A13 *habuit*, 1026 *manus*, 1274 *nolo*, 1276 *nolo*
'Doppelpunkt' ergänzt: A9
'Doppelpunkt' statt 'Punkt': 977
'Doppelpunkt' statt 'Strichpunkt': 954
'Doppelpunkt' statt 'Komma': 12, 540
'Fragezeichen' statt 'Punkt': 74, 1113, 1512
'Ausrufezeichen' ergänzt: 450
'Ausrufezeichen' statt 'Punkt': 641, 1626
'Ausrufezeichen' statt 'Doppelpunkt': 475
'Anführungszeichen' ergänzt: 1401ff., 1484ff.
'Gedankenstrich(e)' ergänzt: 435, 475, 700, 795, 956, 1300, 1442, 1545f., 1618, 1639, 1654
'Gedankenstriche' statt 'Klammern': A14